

LXXI. Deus, in quo tota creatura
LXXII. Deus, in quo tota creatura
LXXIII. Deus, in quo tota creatura
LXXIV. Deus, in quo tota creatura
LXXV. Deus, in quo tota creatura



61.

MEMORIA

VIRI

ILLVSTRIS ET EXPERIENTISSIMI

LAVRENTII HEISTERI

MED' D' SERENISS' DVCIS BRVNOV' ET LVNEB' CONSIL'

AVL' ET ARCHIAT' MEDIC' PRACT' CHIRVRG' ET BOTAN'

P' P' O' ORDINIS SVI ET TOTIVS ACAD' SENIOR'

SOCIETATVM CAESAREAE NAT' CVRIOS' REGIARVM

LONDIN' ET BEROL' SCIENT' ET BOTANICAE

FLORENT' SODALIS

A' D' XVIII APRIL' A' I' S' CIO IO CC LVIII

DEFVNCTI

A V C T O R I T A T E

PRORECTORIS ET SENATVS

ACADEMIAE IVLIAE CAROLINAE

P E R S C R I P T A

A B

IO· CHRISTIANO WERNSDORFIO

P' P' O

HELMSTADII

LITTERIS VID' B' SCHNORRII





agno nuper ornamento Academia
nostra orbata est, decessu incompa-
rabilis Medici, LAURENTII HEI-
STERI, quem et praefens aetas ad-
mirata est, et omnis posteritas, me-
ritorum eius memor, celebrabit.
Etenim tam excellens eius scientia
in omni genere medicinae enituit, tam admirabilis
dexteritas, multiplicibus difficillimisque curationum
experimentis, et longinquo annorum usu, exercita,
ut fama Viri maneret latissime, atque e uariis disjunc-
tisque locis, a multis, magnae etiam dignitatis, ae-
grotantibus in auxilium morbi opera eius consilium-
que

IV

que expeteretur. Ingenii uero studiique, quo uersum artis salutaris fundum excoluit, monumenta, magno numero in uulgus edita, merita eius cum exteris remotissimisque gentibus communicarunt, cupidissimeque excepta effecerunt, ut pluribus in rebus sanior apud eas sanitatis regula obtineret. Qua meritorum eius amplitudine sane futurum est, ut pluribus post saeculis, apud quascunque nationes, HEISTERI nomen in officinis et acroateriis Medicorum frequenti praedicatione memoretur

Famam eius et existimationem eximiam haud facile recordamur, quin simul ad animum occurrat memoria celeberrimi ex antiquioribus Medici, Iacobi Psychochresti. *) Hic, Archiater olim Leonis Thracis, Imperatoris, si PHOTIO et SVIDAE fides habenda est, tanta, quanta uix alius antiquae memoriae medicus, auctoritate floruit. Etenim, auctore SVIDA, **) omnes aetatis suae medicos antecelluit gloria, et ad antiquos proxime accessit, ita quidem, ut eorum plerosque superaret, ab hominibus autem, opis

*) Psychochrestus uerum eius nomen uidetur, quamquam ab aliis libentius Psychrestum uocari uideam. In uetustioribus SVIDAE editionibus extat $\Psi\psi\chi\chi\epsilon\sigma\tau\omicron\varsigma$. KVSTERVS uerum ei nomen e MALELA restituisse ait $\Psi\psi\chi\epsilon\sigma\tau\omicron\varsigma$. Sed, ut me docuit IOANNES FREIND in *historia medicinae*, p. 170, Alexander Medicus, Iacobi fere aequalis, diferte memorat, hoc ei nomen attributum, $\delta\tau\iota\ \psi\psi\chi\epsilon\sigma\tau\omicron\varsigma\ \tau\epsilon\sigma\sigma\eta\ \epsilon\mu\epsilon\chi\epsilon\tau\omicron$. In tam plana eius nominis interpretatione dubium non est, quin, leui unius litterae mutatione, apud Suidam legendum sit $\Psi\psi\chi\epsilon\sigma\tau\omicron\varsigma$. Malela, futilis alias scriptor, non uidetur audiendus

**) u. *luxuriosus*

V

opis medicae indigentibus, amatus mirum in modum cultusque est, ut qui facultatem medendi, diuinæ similem, adeptus uideretur. Hac communi hominum ueneratione fiebat, ut amplissimis honorum ornamentis decoraretur. Nam Senatus, ut MALELA refert, ***) ei statuat in thermis Zeuxippi ponendam curauit, aliam uero Athenis ei positam, et ab Isidoro Gazaeo, philosopho, uisam, Damascius memorat. †) Accedebant honorifica elogia, quibus merita et benefacta Iacobi certatim homines prosequerentur. Alii enim Σωτηρα appellabant magnifico et diuino nomine, quo olim et Dii, in genus humanum maxime benefici, et homines, praestantissimi salutis humanae opitulatores, solebant ornari. ††) Alii, qui philosophorum more loqui malebant, Aesclepiadeam opinabantur esse Iacobi animam et naturam Paeoniam. Praetereo alia, quae, ad famam Iacobi honestandam, uulgi sermonibus agitata SVIDAS memorat. Illud autem memoratu dignum, alios medicos, laudem Iacobi aemulos et obtrectatores, calumniatos esse, non esse medicum Iacobum, sed quendam Θεοφιλην καὶ ἰερον. Quibus nominibus cum olim ii uocarentur, qui medicinae facultatem non arte et studio, sed Deorum quodam munere adepti crederentur, Aesculapii praecipue sacerdotes, Iacobum aduersarii eius Deo charum et sacrum malebant, quam medicum, dicere,

A 3

***) In uit. Leonis

†) Apud PHOTIVM, Cod. 242. Isidorum Gazaeum cum Pelusiotam perperam confundit FREINDIVS l. c

††) SPANHEMIVS diss. V de praestantia numism. SCHWARZIVS de Aesculapio et Hygea Diis φιλαυθρονος, §. XI, p. 20

VI

re, quod prosperitatem curationum eius fatebantur, scientiae, peritiae, prudentiaeque derogabant, uidebanturque eum specioso magnificoque elogio coonestare, cum maligne adducerent in contentum. Quapropter laudator ille Iacobi, quisquis est, apud SVIDAM, ut uoculis horum obrectatorum occurrat, eandem ad laudem eius conuertit, et minime falsos fuisse talia distitantes monet, uere enim uirum illum fuisse *Θεοφιλη, επιεικη, και Θεω κεχαρισμενον*. Quibus sane uerbis declarat, non defuisse Iacobo eximiam sanandi scientiam, sed hoc excellentiorem eam fuisse, quod singulari Dei fauore et uirtute fortunari uideretur

Graue omnino est elogium, quo Iacobum impertit admirator eius, subiectamque habet uerissimam sententiam, qua medicinae uis et fortuna ad Deum, omnis auctorem effectoremque salutis, recte refertur. Cum enim Deus hominum a se conditorum uitam et salutem ipse quam optime conseruatam uelit, eamque ob causam in hac rerum uniuersitate uaria proposuerit sanitatis praesidia, unde auxilium morborum peti possit, dubium non est, in medicorum etiam studiis operisque, quibus saluti generis humani consulitur, haud exiguum prouidentiae diuinae munus spectari. Quod si recte admittitur, et illud uerum est, quod laudator Psychochresti apud SVIDAM praedicat, magnum Medicum, qui summum artis attingerit, et saluti generis humani praestantissimam nauauerit operam, esse *Θεοφιλη, επιεικη, και Θεω κεχαρισμενον*. Cuius quidem imaginem, in Iacobo laudatam, cum luculenter expresserit LAURENTIUS HEISTERVS
noster,

VII
noster, eam quidem, animus est, hic accuratius descri-
ptam proponere, ut eius uirtutum meritorumque
quandam quasi formam exhibeamus

Itaque in magno Medico, quem uocamus Θεοφιλη, primo nobis proponimus excellens ingenium, praeclaris sapientiae praesidiis instructum, quod ad salutem hominum omni arte et ope tuendam, naturali eximioque studio feratur. Homines enim, qui sapientia excellenti et summis animi dotibus eminent, ea aetate, qua Iacobus uiuebat, mos erat Θεοφιλεως, Θεοφιλεσατος, uel simili nomine, appellare. *) Iacobo aequales eius tribuebant Asclepiadeam uel Paeoniam animam, eaque intelligi uolebant praestantem animi habitum, ad studia medicinae tam aptum et propensum, quam fuerit ipsorum artis inuentorum. Quominus autem Medicus Θεοφιλης sola facultate naturali, nullo adiuta usu et studio, definiatur, prudenter adiiicit Iacobi laudator, affuisse etiam in eo ἐρωτικην τε επιτηδευματος επιμελειαν, quae maxime soleat quosque artifices conciliare et coniungere artis praesidibus. Haec quidem ita ille, quisquis est, pro studio religionis paganae, arti cuique suos praesides Deos affingens, sed tamen ad intelligendam excellentis Medici rationem haud inepte. Requirit in eo amatoriam artis diligentiam, eaque ardorem studii significat, quo quis in artem aliquam ita feratur, ut summa ingenii con-

*) Θεοφιλεσατον ipsum Iacobum appellat Alexander, teste FREINDIO, l. c. Sic Hypatiam, magistram suam, SYNESIUS salutare solet Θεοφιλεστην, σεβασμιωτατην, μακαριαν φιλοσοφου, epist. 4 et 10

VIII

contentione ea omnia meditetur et agat, quibus ipsa artis scientia perfici consummarique possit. Eam diligentiam, pergit ille, artificii amorem Deorum, artis praesidium, conciliare, quo scilicet fiat, ut ueluti diuino instinctu agitatus magis magisque elaboret, et admirabilem perfectissimamque artis facultatem assequatur. Sic enim et Phidiam in statuaria, et Zeuxidem in pictura perfectissimos opifices euasisse, quod ob summum artis studium ipso numine Apollinis aut Mineruae afflati uiderentur. Itaque, hoc auctore, optimi quique artifices sunt Θεοφιλες, propter summum, quod in arte excolenda perficiendaque collocant, studium. Nam si ad ingenium, promptum a natura et acutum, accessit ratio doctrinae et solertia indefessa, solet illud emergere in artibus excellens, quod appellare solemus diuinum. In medicina autem dubium non est, quin summus demum amor eius intentiorque industria magnum Medicum efficiat, eundemque Θεοφιλη. Quo propius enim medicinae professio ad beneficam Dei naturam et eam curam accedit, qua saluti generis humani a se conditi prouidet, hoc certius existimandum est, numine et fauore diuino singulari fieri, si qui excellenti praediti ingenio, maioribus artis et studii successibus, ad salutem hominum procurandam connitantur. Quoties igitur Medicum Θεοφιλη mihi propono, toties illustris aliqua species magni Σωτηρος obuerfatur, qui singulari naturae impulsu, ueluti instinctu diuino, excitatus, ad excolendam ornandamque artis salutaris disciplinam acerrimum studium, omnesque cogitationes contulit, omnia salutis humanae praesidia, et uniuersae medicinae

cinæ rationes excussit, eamque doctrinæ medicinalis præstantiam consecutus est, a qua optima sanitatis auxilia ad multos homines proficiscantur

SVIDAS Medicum suum Θεοφιλην laude simul bonitatis et mansuetudinis impertit, appellatque ἐπιεικη, ea quidem significatione, ut ostendat, hunc esse magnum Medicum Deoque gratum, qui summa humanitate et propensione ad misérias hominum leuandas gaudeat. Est scilicet omnis medicina opus charitatis et miserationis humanæ, quæ adeo propria huius professionis est, ut SCRIBONIVS LARGVS **) Medicum, a quo absit ea, merito omnibus Diis et hominibus inuisum pronuntiet. Hinc antiquitas, ad eam medicinæ uirtutem indicandam, præsidēs eius Deos Φιλανθρωπος, Φιλολαος, †) πρως, ἡπιος, mites, ††) aliisque nominibus, appellauit, medicos autem notissimo elogio Χαριεντος dixit, ut qui arte sua benefica humanitatisque plena summam apud homines gratiam inirent. Minime omnium igitur a Medico Θεοφιλει humanitatis sensus abesse potest. Haec enim ea uirtus est, quæ medicum Deo arctiore colligatione deuincit, eumque ueluti administrum efficit Φιλανθρωπιος et benignitatis diuinæ, quæ uitam salutemque hominum quam optime uult conseruatam, et nullo non auxilio molestias et misérias eorum leuari cupit. Quam si imitandam sibi proponit Medicus Θεοφιλης,

B tum

**) In epist. ad C. Iulium Callistum

†) Eo nomine cultus est Aesculapius in fano ad Asofum, teste PAVSANIA p. 267

††) VII. SCHWARZIVS l. c. §. 14

X
tum officiis medici praeclare obeundis aptior parati-
orque redditur. Sic enim medendi scientiam ad li-
beralissimae benignitatis diuinæ exemplar dispensat,
carissimam omnium hominum uitam ducit, nemini-
que beneficium artis suae inuidet, ad decumbentium
morbos sanandos summam sollicitudinem adhibet,
non alio, quam officii, studio ductus, neque ab eo ulla
laborum difficultate, aut molestiarum taedio retarda-
tur, quicquid denique studii, cogitationis et experi-
entiae potest, ad amplificandam medicinae faculta-
tem et augenda sanitatis humanae praesidia confert.
Pessimi uitii, et humanitati maxime aduersarii, infamia,
teste SENECA, ***) quosdam olim medicos pressit,
cum dicerentur opus quaerere, saepiusque morbos
augere et irritare, ut maiore gloria sanarent. Con-
tra Iacobus apud SVIDAM id egit sedulo et accurate,
ut aegrum quam maturime, et quam breuissimo eius
cruciatu, alleuaret, saepe dicere solitus: Medici opti-
mi esse, aut statim desperare de morbo, aut si eum
attigerit, mox nonnihil leuare aegrotantem, nec
prius ab eo discedere, quam meliuscule se habeat.
Quo sane studio peritiam aequae ac humanitatem, di-
gnam Medico Θεοφιλες, approbavit

Porro autem SVIDAS, cum eundem Θεω κεχαρισ-
μενον appellat, uidetur fortunam curationum eius et
prosperum successum admirari. Etenim Iacobum
memorat omnes fere ab urgentibus malis aut statim,
aut paullo post, liberaffe, indeque magnificum nomen
Σωτη-

***) De beneficiis lib. VI, cap. 36

Σωτηρος, ueluti Aesculapii, obtinuisse. Neque aliud, quam efficacem felicemque eius medendi potestatem, indicarunt homines, qui, eodem teste, Iacobum dicebant habere *δυναμιν ἰσοθεον*. Hoc enim nomine ueteres et medicamenta insignire solebant, quorum praesentissima uirtus et efficacia comperta esset. *) Iam ab omni antiquitate medicinae uis quaedam diuinitatis inesse credita est. Nam uim morborum occulte grassantem frangere uirtute applicati remedii, pestemque corporis humani adeo profigare, ut illico mortis periculo expediatur, id supra humanam naturam esse uidebatur. Ea re factum est, ut primos medicinae repertores, et alios, quos fama eius artis illustrauerat, admiratio hominum cumulatifimis afficeret honoribus, in ipsosque Deos referret. Quae tamen diuinitas opinione magis hominum et admiratione scientiae, ab aliorum intelligentia abstrusae, quam diuina quadam uirtute, constabat. Maxima et indubitata Dei potestas in mirificis Christi, Optimi Seruatoris, operibus spectata est, qui quamquam minime rapinam duceret *το εἶναι ἰσα θεῶν*, **) perfectis tamen mirabiliter sanationibus, omnibus numeris absolutam ostendit *δυναμιν ἰσοθεον*, summumque non animae solum, sed et corporis humani, se Σωτηρα demonstrauit. Eadem uirtute diuiniore muniti legati eius, ut doctrinam coelestem mirabilium spectaculis operum confirmarent, desperatissimos morbos ex hominum corporibus iussu solo profigarunt.

B 2

*) Annotauit CASTELLVS in *Lex. med. u. ἰσοθεος***) *Philipp II, 6*

runt. Hanc quidem potestatem ἰσοθεον medici, fragilitatis suae conscii, nec uindicare sibi, nec sperare possunt, at tamen in omni medicinae negotio, in consilio medici, et in uirtutibus remediorum uis quaedam diuinitatis adest, quae summopere ad salutem hominis reparandam ualeat. Agnoscunt uim eam, sancteque celebrant, ipsi ueteres pagani, sed appellant Fortunam, †) ἀγαθὸν Δαίμονα, ἀγαθὴν Τύχην, cuius adeo statuam in templo Aesculapii collocatam memorat ARISTIDES. ††) Et saepius hodie Medici, fractis inopinato pertinacissimis morbis, et resectis cito aegrotantium uiribus, uim agnoscunt captu suo et arte medica superiorem, in eaque manifestum auxilii diuini pignus reuereri, et cum lapide, Virgiliano medico, fateri coguntur:

*Non haec humanis opibus, non arte magistra
Proueniunt, neque te, Aenea, mea dextera seruat,
Maior agit Deus ††)*

Est saepe, ubi consultatio medici extricat nihil, nec quicquam ueri remedii inuenit: est, ubi manus medentis nequicquam trepidat, imo peccat, nisi altior fortuna manum eius et consilium regat. Contra uero, ubi in atrocissimo malo, excussis omnibus artis praesidiis, diu incassum laborauit, incidit tandem, quasi

†) CORN' CELSVS lib. VII, praefat: In morbis multum fortuna confert, eademque saepe salutaria, saepe uana sunt. Conf. BHEISTERI disp. anno 1722 habita, de fortuna medica, ad locum quendam Hippocratis

††) Sacr. serm. 1, p. 276

†††) VIRGILIUS Aen. XII, u. 427

quasi nutu diuino, in ueram medendi uiam, et medicamentum reperit, quasi diuinitus oblatum, quo aeger mox releuetur. Itaque curatur quidem ualitudine hominum imperatis a medico remediis, sed tamen prouidentis Dei numine artem eius secundante. Hic enim ipse est auctor uitae salutisque humanae, dominus uiuorum et mortuorum: hic effector et fabricator tum naturae humanae, tum rerum salubritate praestantium: hic animum medici in potestate habet, perspicientiam eius acuit et consilium dirigit, ut uideat acute, coniciat recte, consulat prudenter: hic denique ipsis medicamentis uim addit et salubritatem, qua diffusa in uenas uigor roburque corporis instauretur. Idem igitur magnum Medicum, quem illustrius uirtutis suae, omnia seruantis, instrumentum esse uoluit, consilio instruit adeo prompto et solerti, ut multorum hominum salute feliciter per eum restituta, *diuinais* quaedam *isodios* animaduerti possit

Quo maiorem autem artis, diuino munere sibi tributae, excellentiam et efficacitatem intelligit Medicus *Geophilus*, hoc magis dat operam, ut curis studiisque suis Dei gloria quam luculentissime illustretur. Quantum ad hanc amplificandam fecerint operae et curationes *Psychochrestis*, facile ex ipsis elogiis, Iacobo tributis, intelligere licet, quibus ille quasi administer bonitatis diuinae celebratur, et beneficia, officio eius hominibus praestita, Deo, tanquam auctori, accepta referuntur. Quot enim homines medicus fractos debilitatosque uiribus confirmat, quot ille periculo mortis eximit, tot ueluti

ora ad efferendas Dei laudes aperit, tot quasi testes excitat bonitatis diuinae. Ipsa autem rei medicae disciplina tantam rerum copiam, ad intelligendam summi sapientiam opificis praestantium, exhibet, ut quo quis artis scientior peritiorque est, hoc magis debeat, admiratione rerum tam excellentium defixus, immensi maiestatem effectoris reuereri. Corporis humani, cuius accuratior notitia medicis relicta est, excellenter admirabiliterque exstructi fabricam, et illam omnium membrorum aptissimam coagmentationem et concinnitatem, illum singularum partium, minimarum etiam, usum, ordinem, consensionem quis est, qui intelligat plenius, quin uim diuinae exaedificationis incredibilem agnoscat, et in uenerationem sapientissimi fabricatoris rapiatur. Porro autem herbarum, stirpium aliarumque rerum, quae in usum medicinae aut nascuntur, aut praeparantur, distincta coloribus uarietas, multifaria praestantia, dispares uirtutes amplissimum Medico spectaculum pandunt, quo uim capacissimae exuberantissimaeque mentis, talium rerum effectricis, contemplari possit. Haec igitur animo et mente nauiter perlustrat Medicus *Θεοφιλης*, sed quo interius accuratiusque recessus naturae peruestigat, hoc maiora summi consilii argumenta in minutissimis rebus deprehendit, atque hoc magis exardet studio, recondita diuini artificii miracula protrahendi in lucem et demonstrandi, ut eorum excellentia quam plurimis patefiat, et excelsi sapientia molitoris religiosius aestimetur

Tanta

Tanta amplitudine gaudet, quem haecenus in-
 formauius, Medicus, ingenio diuinus, animo hu-
 manus, arte felix, studio pius. Cuius exemplar ad-
 eo uita et studiis expressit LAURENTIUS HEISTE-
 RVS, ut affirmare non uereamur, enituisse in eo, ut
 in Psychochresto, Medicum Θεοφιλη, ἐπιεικη, και Θεω
 κευχαρισμενον. Huius enim peritia, in omnibus artis sa-
 lutaris partibus excellens, tantum auctoritate apud
 remotissimas gentes, tantum in propulsandis plurium
 generum morbis profectu ualuit, ut Vir magni no-
 minis diuinitus excitatus, et saluti generis humani
 donatus uideretur. Ab ineunte iuuentute cum ani-
 mum, artibus liberalibus praemunitum, ad studium
 artis medicinalis applicuisset, tanto opere eam com-
 plexus et persecutus est, ut facile appareret, ingeni-
 um eius arti medicae a natura aptum, et ueluti diui-
 nitus destinatum esse. Hoc ille auspicio studiorum
 accepto, porro ipsius quasi Dei manu apprehensus
 deductusque per omnia artis curricula et exercitia est,
 ut perfectam eius scientiam assequeretur. Etenim
 incredibili multa discendi experiendique ardore inci-
 tatus, nihil intentatum reliquit, quo sibi medicinae,
 tum medicamentis, tum manu curantis, peritiam et
 usum compararet, multoque laboris et sumtus im-
 pendio exteras regiones adiit, Medicorum celeberrimorum
 scholas, Anatomicorum officinas, medicinas
 Chirurgorum frequentauit, omnia artis subsidia et
 praestantissima quaeque experimenta inspexit, per-
 tractauit et familiaria sibi reddidit, tum uero in ca-
 strensia populorum belligerantium ualetudinaria, tan-
 quam in palaestram omnis exercitationis medicae, se
 con-

XVI

contulit, ibique uariis curationum periculis, et quotidiano multiplicique usu, tantam breui tempore artis peritiam collegit, quantam alii longa annorum exercitatione uix nanciscantur. Quo incredibili studio excolendae medicinae sane abunde approbavit, quam in Iacobo olim laudauerunt, *ἑρωτικὴν τὴ ἐπιτηδεύματος ἐπιμελείαν*. Impendit autem hanc operam eo diligentius, quo maiore sensu humanitatis ad explenda boni Medici officia ducebatur, artem reputans, quam Dei *φιλανθρωπία* salutis generis humani indulgisset, eiusdem uirtutis studio tractandam, et in quorumuis hominum auxilium liberaliter expromendam esse, neque in ea ullas laboris et molestiarum acerbitates defugiendas. Cuius quidem sollicitudinis uberrimum fructum tulit, efficientia et fortuna artis suae plurimis hominibus salutari, summaque nominis, quam inde consecutus est, celebritate. Nam ex magno aegrorum numero, quos morbis grauissimis liberauit, uerbis uix potest exprimi, quantam artis peritiaeque suae existimationem longe lateque excitauerit, cum non ii solum auxilium eius implorarent, qui opera praesentis uti possent, sed et exteri permulti, e longinquis regionibus, et magnae dignitatis, qui uel euocabant eum ad se literis, uel hanc in urbem commeabant, ut apud HEISTERVM, tanquam in fano Aesculapii incubantes, consilio eius aut manu salutari pristinam reciperent sanitatem. Quantum autem patriae suae profuit HEISTERI opera et dexteritas, tantum sane exteris remotisque gentibus eius doctrina praestitit. Nam libri eius in uulgus editi, quibus optimam sanandi uiam exquisitis doctrinae et experientiae

entiae praesidiis muniuit, tanta cum eruditorum apud exteras gentes approbatione recepti sunt, ut in omnes fere Europaeorum gentium linguas transferrentur, atque ex iis sanior medendi ratio remotissimis etiam populis traderetur. Quam celebritatem assecutus, minime oblitus fuit beneficii diuini, quo sibi ii laborum successus contigissent, sed gloriae Dei magnitudinem hoc diligentius recoluit, quo maiorem eius amplificandae materiam in omni medicina reperiebat. Nam et cum morbos acerrimos, superata omnium expectatione, infringeret, locum sibi datum putabat, auxilii diuini, cui prosperum tribuebat euentum, praedicandi, et in omni rei medicae tractatione, praesertim in herbarum et corporis humani natura contemplanda, quo scientior harum rerum erat, hoc maiore cum uoluptate uidenda in iis diuinae sapientiae uestigia consectabatur. Cuius studii in primis testes sunt aliquot commentationes, piae non minus quam eruditae, quibus Deum e mirifica fabricae humanae compage, et sigillatim e quarundam eius partium stupendo artificio et usu, religiose cognoscendum proposuit

Sane eam studiorum rationem, id institutum uitae secutus est Medicus noster *Θεοφιλης*, ut in animo habuisse assidue, factisque expressisse uideatur, quae Vates ille et Rex, ex animi diuini sententia, de se praedicat: *Deus, tu me a pueris docuisti, et hactenus tua praedico miracula. Ne ad senectam quidem et canos, Deus, me desere, dum tuum brachium posteris, dum tuam futuris omnibus praedico uirtutem.* *)

C

Quo

*) Pf. LXXI, 17, 18

Quo maiores enim industriae suae successus uidit **HER-
STERVS**, hoc magis Dei erga se benignitatem cognouit.
Huius prouidentia et auxilio se intellexit ab ineunte
adolescentia adiutum prouectumque ad eam rei me-
dicæ scientiam esse, ut admirabilem Dei bonitatem,
in tot rerum medicinalium uirtutibus salutiferis con-
spiciam, et in ipsis morborum curationibus poten-
tem, agnosceret et celebraret. Huc igitur omnia stu-
dia et medicamenta sua conuertit, ut admirabilia
Dei opera patefaceret, et quoties atrocius et despe-
ratum malum feliciter sustulisset, toties solebat diui-
nae potentiae brachium, in medicamentorum uirtute,
et in manu, quam aegro adhiberet, dirigenda efficax,
pia mente uenerari. Neque enim minore religione
duci poterat, quam Herophilus, inter maximos olim
habitus medicos, qui mirifica medicinae uirtute ad-
ductus, teste **SCRIBONIO LARGO**, **) pronuntiare so-
litus

) *Initio praef. ad C. Iul. Callistum.* **RVELLII quidem editio,
quae ad manus est, expressit, *diuinum munus esse.* Sed **CASP.
BARTHIVS** *Aduers. lib. 48, c. 19.* iam coniecit, legendum es-
se *Deorum manus.* Idque tam certum est, quam quod maxi-
me. Nam consequentia **SCRIBONII** uerba, quibus **HERO-
PHILI** effatum declarat, sic scriptum ab eo esse, manifeste indi-
cant. Sic enim pergit **SCRIBONIVS**: *Prorsus enim, quod tactus
diuinus efficere potest, id praestant medicamenta usu experientiaque comprobata.* Et ueram **Herophili** sententiam **GALE-
NVS** etiam, *de compos. medic. lib. VI, p. 248,* his uerbis expressit:
ἐκπερον ὡν ἔλεγεν Ἡροφίλος ἀληθές. ἔαν τε γὰρ εἴησιν ἄθεν εἶναι τὰ Φαρμακὰ
μόνα κατ' αὐτὰ, προσσηκνότες ἔσται, ἄθεν γὰρ εἶναι, ἔαν μὴ τοῖς χρωμένοις ὁρῶσι
σχη, ἔαν τε πάλιν διὸν περὶ θεῶν χάριτος εἶναι τὰ Φαρμακὰ, καὶ ταῦτο ὁρῶσι
ἔσται, ὡς τε γὰρ μεγάλα τὸν χρωμένον αὐτοῖς ἔχοντα γερμασμένον ἐν λογί-
κῃ μεθόδῳ, μετὰ τε καὶ συνέτον εἶναι φύσα. *Temere itaque uerba*

litus est, *medicamenta Deorum manus esse.* Frustra Iulianus, ille Christianae religionis defector, Deum suum fictitium Aesculapium, contendit, monstrata hominibus medicina, per omnem terrarum orbem salutarem dexteram extendisse. **) Verius multo HEISTERVS noster in tot rei medicae subsidiis, multifariisque sanitatis remediis, per orbem terrarum diffusis, summi uerique Numinis brachium usquequaque extensum agnouit, idemque ut a quam plurimis hominibus agnosceretur, studiis et commentationibus suis efficere annisus est. Ipse uero in difficillimis, chirurgicis maxime, curationibus non alium se, quam administrum brachii diuini iudicauit, omnia sustentis et seruantis. Hoc in studio amplificandae diuinae gloriae, optauit, ut sibi integris uiribus ad feram senectutem perseuerare liceret. Neque uero desertus a Deo, sed firmatae ualitudinis beneficio gauisus est Medicus noster Θεοφιλης. Vidimus eum senectute tam uegeta et florente, tam multis ornata meritis uti, ut Coum aliquem aut Pergamenum senem nostris obuersari oculis crederemus. Vidimus eum nulla debilitate a negotiis medicis retardari, imo difficillimis subinde curationibus strenue operari, ut facile Medicum aut Chirurgum diuino munitum brachio agnosceremus. Et productiore quidem aetate sua ita usus est, ut diuinae uirtutis excellentiam magis magisque cognitam posteris traderet, cum et libros omnis erudi-

C 2

rudi-

mutauit RVELLVS, Scribonii, ut a BARTHIO appellatur, satis audax restitutor.

**) Iulianus apud CYRILLVM *lib. VI, p. 227:* ἐπι πικρῶν ἰατρῶν τῆς γῆς ἐπιτησιῶν ἕκωτα δεξιῶν

ruditionis medicae copiis refertos in uulgu ederet, magisque locupletaret, et discipulos quam plurimos scholis suis praeclare institutos emitteret, eandem post se operam nauaturos. Itaque beneficio diuino eam felicitatem affecutus est, quam CICERO, senectutem ab iniquis criminationibus uindicans, in primis laudat, cum et ingenium retinuit senex, ne cogeretur in studiis obmutescere, et conscientia bene actae uitae, multorumque benefactorum iucundissima recordatione oblectatus est. Magnum praeterea senectutis solatium, amorisque diuini documentum, habuit in familia splendidissima, cum liberos et nepotes educaret sua prementes uestigia, et generos nancisceretur, laudis Heisterianae capaces et aemulos. Hos quidem amplissimis praeditos honoribus omnes, et plerosque collegas ordinis sui, uidisset, propiusque accessisset ad felicitatem Metelli, ueteribus praedicatam, si quidem fata permittere uoluissent, ut sibi omnes essent superstites. Sed et haecenus commemorata sufficiunt, ut in HEISTERO Medicum $\Theta\epsilon\omicron\phi\iota\lambda\eta$ agnoscamus

Vberiore earum rerum, quarum ueluti imaginem adumbrauimus, explanationem dabit ipsa uitae eius descriptio, quam iam per partes enarraturi sumus. Ea quidem iam passim a doctis uiris mandata literis est, atque tum ephemeridum literariorum commentariis exposita, tum singularibus libellis plenius commemorata. Fama enim HEISTERI, multorumque in re medica meritorum excellentia, digna uidebatur, quae curatius commemoraretur, et cognos-

gnosceretur a plurimis. Neque tamen Academia nostra deesse officio potuit, quod memoriae tanti Viri debebat, ut praeclare facta eius, quibus orbem eruditum, et se maxime, illustrauit, grata praedicaret et commendaret posteris. Quamquam enim, quibus studiis in republica literaria eminuerit, quibusque inuentis et exercitationibus disciplinam medicam locupletauerit, iam satis aliorum literis est proditum, sunt tamen alia eius studia, quibus commoda et famam Academiae ornauit, quaeque a nobis non reticenda uidentur. Rerum autem copia dicendarum, in tanta meritorum HEISTERI amplitudine, quod angustae scriptionis spatiis uix potest includi, iam postulare uidentur, ut quam breuissime omnia comprehendamus, et rerum singularum ueluti summas delibemus

Natus est LAVRENTIVS HEISTERVS Francofurti ad Moenum die XIX Sept. anni c16CLXXXIII, auspiciatissimo quidem tempore, cum uniuersa ciuitas recenti adhuc laetitia ob allatum, de Vienna obsidione liberata, profligatoque Turcorum exercitu, nuntium triumpharet. Patre usus est IOANNE HENRICO, ciue Francofurtano, tunc temporis quidem materiario, sed qui postea uino simul uendendo et uiatoribus hospitio excipiendis rem faceret; matre autem MARIA, haud obscurae in ea urbe gentis Alleinsae, GISBERTI LAVRENTII, mercatoris honestissimi filia, quae uita ad grandem aetatem producta hanc senectutis suae summam uoluptatem duxit, quod felicia filii incrementa, magnamque nominis celebritatem, ipsa uideret. Puer nondum nouennis in Gym-

nasium Francofurtense ductus linguarum ueterum artiumque liberalium cognitioni per integrum decennium operam dedit, ea quidem industria, ut plerumque inter discipulos primi subfellii numeraretur. Vñs autem est doctoribus in ea schola praecipuis IO. GERARDO ARNOLDO, Rectore, eiusque successore IO. IACOBO SCHVDTIO, et IO. THOMA KLUMPFIO, quo auctore tum praecipue animum ad artem poeticam applicuit, et, quod ingenium suum aptum iis rebus, nec inuenustum, intelligeret, uaria tum composuit carmina, quae peritorum punctum ferre possent. Hac in liberali exercitatione non minus otium, quod a publicis auditionibus superesset, oblectauit, quam aliis in rebus addiscendis collocauit utiliter. Nam iustam Romanae linguae scientiam affecutus, cum paullo adultior esset, ad exterarum gentium linguas, quae hodie uigent, Gallicam scilicet, et mox Italicam accessit, artem item Musicam, et delineandi pingendique, addidit, quarum ei magistros satis idoneos liberalitas parentum concesserat. Quin ipse, nullo alio duce, sed spectando obseruandoque rationem coagmentandi concinnandique libros arripuit, ita quidem, ut, quoad Francofurti degeret, ipse sibi libros suos horis subseciuis non inepto, nec indecoro, paratu compingeret. Quibus negotiis honestis non solum animum suum recreauit, sed id affecutus est maxime, ut se a sodalitia prauis exempli remoueret, et, quod in diuersorio, quo educabatur, summe necessarium erat, ut secum habitare disceret, neque moribus peregrinantium, qui solutiores esse solent, corrumpere tur

Sed

Sed ex iisdem occupationibus, et ueluti prae-
 ludiis studiorum, singularis elucebat nauitas et
 industria adolescentis, quae parandis quibuscun-
 que eruditionis instrumentis intenta esset, et ma-
 gnum uirum minaretur. Itaque cum institutus bene
 literis, altioribusque studiis persequendis iam satis
 paratus, uideretur, facto ad uicinas Academias,
 Gießam et Marpurgum, itinere, ut, quaenam com-
 modissima instituto suo esset, uideret, Gießam ele-
 git, et apud IO. HENR. MAIUM, Doctorem Theo-
 logum celeberrimum, tum Rectorem, nomen suum
 professus in album ciuium Academicorum relatus est.
 Addicebat se arti medicae, cuius dudum summo stu-
 dio tenebatur, et cognita GEORGII CHRISTOPHO-
 RI MOELLERI, Medicinam extra ordinem docentis,
 fama, qua ob eruditionis amplitudinem eximiamque
 explanate docendi facultatem florebat, huius discipli-
 nae totum se tradere constituit. Hoc autem in docto-
 rem suum singulare studium effecit, ut breui interiecto
 tempore Gießam discederet. MOELLERO enim anno
 sequenti 1703 Wezlarium euocato, ut summis
 Iudicibus Camerae Caesareae a medicina esset, No-
 ster cum aliis quibusdam adolescentibus medicinae
 studiosis doctorem suum secutus, per integrum fere
 quadriennium ab eius ore pependit, et totum natura-
 lis aequae scientiae, ac medicae, campum eo duce e-
 mensus est. Adfuevit etiam negotiis clinicis et me-
 dicinae exercendae, a doctore suo ad lectos aegroto-
 rum adductus, ut assidere decumbentibus, obserua-
 re morbos, et consilia medica prudenter exarare di-
 sceret. Neque aliis in rebus eo loco defuit ei aut oc-
 casio

XXIV

casio aut solertia amplificandae eruditionis medicae. Ad rem enim Chemicam et Pharmaceuticam quod attinet, utebatur Wezlariae hospitio peritissimi medicamentarii, cui non modo ad medicamentorum, simplicium aequae ac compositorum, notitiam comparandam frequenter adhaerebat, sed etiam maioris momenti medicamenta, chemica praefertim, praeparanti, oculos animumque curiose ad omnia aduertens, manum operamque sociam commodabat. Notitiam structurae corporis humani sedulo percipiebat tum ex anatomicis MOELLERI demonstrationibus, tum a D. BARTHOLDO, Academiae Gieslensis Anatomico, ad quem conferre se solebat toties, quoties ab eo sectiones cadaverum publicas Gieslæ institui audiuisset. Rei autem herbariae studium, cuius iucunditatem tum se maxime affici sentiebat, ita persequeretur, ut quotiescunque temporis et anni ratio permitteret, hortos, prata, silvas et colles in agris vicinarum urbium perreptando, omnium generum herbas, quae inueniri possent, colligeret solcite, et instruendo herbario, quod dicitur, uiuo, diligenter exsiccatas asseruaret, idque iam tum ad eam magnitudinem excreuit, ut plus quam duo millia herbarum contineret. Aliam proficiendi materiam Nostro offerebant thermae et acidulae quam plurimae, quae in uicinia Wezlariae ob eximiam aquarum salubritatem celebrantur. Ad has enim cum quauis aestate magna nobilissimorum hominum multitudo, sanitatis confirmandae causa, conflueret, ab iisque haud raro MOELLERI consilium de recto salutarique aquarum usu requireretur, HEISTERVS, haud negligens talium rerum

rerum obseruator, praeceptorem suum comitatus, ad ipsos fontes aquarum non solum earum naturam, et causas salubritatis explorauit, sed etiam, quae in quibusque morbis recte imperentur, qui cuiusque legitimus usus sit, et quae in eo uictus ratio tenenda, qui effectus, et quae conuersiones ualitudinis obseruandae, accurate didicit, eiusque rei cognitione exercendae medicinae scientiam praeclare auxit. Tot igitur tamque assiduis exercitamentis medicis HEISTERI factum est, ut quamuis mature Academia discessisset, Academiam tamen Wezlariae minus desideraret. Ardens enim et indefessa eius industria, quae suo semper incitabatur instinctu, et quamlibet discendi opportunitatem arripiebat, quascunque in res incidisset, sibi ueluti scholam aperuit, nihil reliquit inexpertum, et nunquam nisi doctior discessit

Sed Noster amplius mox spatium requirere uidebatur, quo excurreret, et ingenium optimarum rerum studiosissimum exerceret. Itaque cum in plerisque medicinae partibus, praesertim Anatome, Chirurgia, Botanica et Chymia, longius progredi, exterisque audire doctores cuperet, suasu praeceptoris sui et annuente patre, Belgium, illud bonarum artium domicilium adire constituit, et anno huius saeculi VI, ineunte aestate, Moeni Rhenique flumine secundo deuectus, lustratis simul, quae Rheno adiacent, celeberrimis urbibus, Lugdunum Batauorum uenit, et Medicos ibi publice docentes, eorum ut sibi uoluntates conciliaret, salutauit. Cognito autem, Anatonem et Chirurgiam, quarum maxime studio flagra-

D

bat,

XXVI

bat, Amstelodami RVYSCHII et RAVII scholis multo magis celebrari, quam Leidae apud BIDLOVM, mutauit consilium, et Amstelodamum secessit, statimque adfuit RVYSCHIO et COMMELINO, botanicas auditiones in splendidissimo eius urbis horto medico per aestatem habentibus, RVYSCHIO etiam in demonstrationibus anatomicis, quas tum canicularibus diebus extra ordinem exhibebat in partibus corporis humani singulis, ita quidem arte praeparatis, ut uehementissimo calore coeli sine fastidio spectari tractarique possent. Eratque in primis iucundissimum spectaculum adolescentis, qui ante annos aliquot mortuus, sed pollinctura artificiosa inunctus, specie et uenustate tam admirabili apparebat, ut non mortuus, sed uiuus spiransque, et leni tantum somno sopitus uideretur. Publicis hisce demonstrationibus ad finem perductis, priuatas aperuit HEISTERO aliisque rogantibus, quibus recensum egit totius thesauri sui anatomici, quem postea Russorum Imperator PETRVS I ingenti pecuniae summa emit, et non solum exempla rerum arte praeparatarum, ex animalium genere, stupendi pleraque operis, perlustranda proposuit, sed etiam, quae in quoque noua et notatu digna obseruasset, aut quae a se primo inuenta essent, enarrauit. HEISTERVS praeterea per otium in horto medico rariores, quas adipisci posset, plantas sedulo collegit, iisque herbario suo haud mediocrem accessionem comparauit

RAVII tunc temporis inter chirurgos et lithotomos celeberrimum nomen erat, isque maxime in of-
fium,

sium, musculorum, neruorumque doctrina sic excellere, ut RVYSCHIVS in splanchnologia, ferebatur. In his igitur rebus cum accuratius proficere cuperent quidam medicinae studiosi, qui se HEISTERO adiunxerant, institutiones anatomico-chirurgicas, centum argenteorum uncialium pretio, quod pro se quisque solueret, sibi a RAVIO pacti, dimidium statim didactri repraesentabant, ea tamen lege, ut sibi non modo totam rem anatomicam in recentibus cadaveribus quam accuratissime demonstraret, sed etiam alia cadauera iusto numero procuraret, quibus secandis et perscrutandis ipsi exercere se, suamque magis instruere scientiam, possent. Paullum uero institutione progressus RAVIVS cum promissis suis minime staret, neque solertem fidelemque doctorem se praeberet, praeterea summa ubique morum uerborumque asperitate offenderet, plerique auditores, in quibus et Noster, magistri tam molesti taedio affecti, et reliquae pecuniae iacturam facere recusantes, absoluta priore auditionum parte, discesserunt, seque applicarunt ad RVYSCHIVM, qui propositis sibi iisdem conditionibus minime grauatus, desiderii iuuenum humanissima facilitate respondit, iisque non modo uniuersam splanchnologiam tradidit, haec enim desiderabatur, sed etiam cadauera, quotcumque requirerent, ad sectiones priuatim instituendas, e magno ualitudinario Amstelodamensi suppeditauit. Hac igitur occasione prudenter usus Noster, indefessa et plane incredibili industria continuos integrosque dies per hiemem ad finem usque mensis Maii, anni c1600CCVII, incidendis corporibus omnis aetatis atque

XXVIII

sexus consumpsit, omnem Anatomies doctrinam denuo pertractavit et memoria defixit, quae difficiliora essent, et RAVIVS ostendere neglexisset, ductu optimorum scriptorum, et suo ipse studio, exploravit, varios denique Anatomicorum, VERHEYENI maxime, errores, alia item ab aliis nondum cognita, aut non accurate explicata, notavit, quarum rerum haud pauca tum in compendio Anatomico, tum in ephemeridibus Nat. Curios. descripsit

Quantum autem ex anatomicis exercitiis emolumentum ceperat, tantum eodem tempore e multis variisque operationibus chirurgicis proficere conabatur, non RAVII modo et RYYSCHII, quos praecipuos duces sequebatur, sed aliorum etiam celeberrimum Chirurgorum, PETRI ADRIANSON VERDVYNI, eiusque generi BORDELI, VALLANTII, CONERDINGII et aliorum, quorum sibi multo sumtu et labore amicitiam conciliauerat. His enim insinuatus adhibebatur difficillimis quibusque et operosis curationibus spectandis, quas illi in nosocomiis aliisque locis haud raro suscipiebant, easque priuatim imitari in cadaveribus solebat, quo promptior manu habiliorque ad opera eiusmodi exsequenda fieret. Neque vero hic substitit ille, sed nullum amplius campum exercendae chirurgiae, quam castra militum, ratus, ad exercitum Foederatorum in Brabantia, qui tum in hostem movebat, mense Junio anni 1657 per Antuerpiam, Bruxellas, et Louanium, profectus est. Louanii Celeberrimum VERHEYENVM, literis RYYSCHII

SCHII commendatus, salutavit, et publicae docentem audiuit. Priuatim autem uario de rebus anatomicis sermone collato, nonnullos errores in libello eius anatomico ab se obseruatos modeste indicauit, quorum ille plerosque candide agnouit, sed rem angustam domi, et penuriam librorum, quae suis obstaret conatibus, excusauit. Louanio relicto, apud exercitum aliquamdiu commoratus, Bruxellas rediit, ubi tum Britanni Batauque refertissima habebant nofocomia. In quibus quotidie cum praestantissimis Medicis et Chirurgis castrensibus, AMIANDO in primis Anglo, et CREPINO Batauo, uersatus, egregie ab iis, plurima curationum chirurgicarum genera spectando, profecit, eorumque permisso tum primum uenae sectionis, aliorumque operum leuiorum, periculum fecit, ut his quasi rudimentis firmatus aliis grauioribus suscipiendis habilem se redderet. Nec praetermisit obseruare alia, quae ab iis medicis in curandis morbis internis fierent, et utilia sibi ad medicinam prospere exercendam uiderentur. Reliquum temporis si quid esset, linguae Anglicae addiscendae, quod tum multa sibi cum Anglis consuetudo esset, et legendis optimis Chirurgiae auctoribus, impendit, colligendis etiam, quae inter ambulandum se offerrent, rarioribus herbis, quibus instructum thesauri sui herbarii locupletaret

Exeunte aestate reditum parans, in itinere Gandau Flandriae ualetudinaria castrensia perlustrauit, et IO PALFYNUM, Celeberrimum Chirurgum, conuenit, Flessingae autem et Medioburgi praegrandes

in portu naues bellicas, aliaque notatu digna uidit, indeque pergens Lugdunum Batauorum uenit, eo quidem consilio, ut doctrina et recitationibus Medicorum ibi docentium ad excolendum omnem disciplinae medicinalis fundum se magis instrueret et confirmaret. Igitur a Celeb. PERIZONIO, tum Rectore Academiae, inter ciues receptus, assidua diligentia ALBINI scholas practicas, publicas et priuatas, BOERHAVII chemicas, item de uisu et morbis oculorum, recitationes, PETRI uero HOTTONI botanicas, frequentauit in horto medico eius Academiae instructissimo institutas. Adfuit praeterea BIDLOI sectionibus cadauerum, FRIDERICO DEKKERO aegros in ualetudinario uisenti, et de cuiusque morbo ferenti iudicium, LE MORTIO demonstrationes chemicas, et SENGVERDO experimenta mechanicophysica instituenti. Inter haec studio linguae Gallicae ductus, ut promptiorem eius facultatem assequeretur, hospitio et conuictu hominis natione Galli usus est. Neque minus ad mathemata adiecit animum, simulque uitro speculari terendo et microscopiis conficiendis operam dedit. Feriis excurrere solebat, ad nobiliores in uicinia urbes, ad praetoria uillasque, magnifico exstructas opere, uidendas, et perlustratis earum cultissimis hortis noua subinde herbarum rariorum spolia referebat. Ultraiectinam in primis urbem, ob amoenissimos hortos et uiridaria celebrem, cum adiiisset, plurimos eius loci eruditos familiares sibi reddidit, tum apud Celeb. LEYSLENIVM pulcherrimum rerum anatomicarum et chirurgicarum apparatus inspexit. Amstelodami autem RVYSCHIVM suum

suum conueniens, cum ibi forte celeberrimum Medicum et Polyhistorum THEODORVM IANSONIVM AB ALMELOVEEN inuenisset, isque enixe HEISTERVM hortaretur, ut Harderouici a se, cum maxime Rectore Academiae, et collegii Medici Decano, summos in medicina honores reciperet, Noster summo uiro gratificandum ratus, fidem dedit, et mense Maio Harderouicum profectus, habita prius publice disputatione *de tunica choroidea oculi*, laurea Doctoris ab ALMELOVEENIO condecoratus est. Eos tamen honores, Lugdunum reuersus, aliquamdiu celauit, ut acroases iam a se coeptas sine offensione continuare et absolueret possit.

Cursu autem studiorum Academico peracto, cum Anatomen et Chirurgiam, quarum maxime amore flagrabat, in Batauis uideret minus accurate et perspicue tradi propter doctorum aut negligentiam aut imbecillam aetatem, Amstelodami sedem figere et profiteri eas disciplinas constituit, liberalem et officiosum eius consilii adiutorem nactus RVYSCHIVM, qui quasi collegam anatomici muneris HEISTERVM assumpsit, cellam in ualetudinario sectionibus aptam concessit, et ut necessaria praesto essent cadauera, se curaturum promisit, id tamen pactus, ut HEISTERVS rem anatomicam in recentibus cadaueribus, ipse uero iisdem auditoribus in corporibus arte praeparatis demonstraret, et, quod e scholis istis rediret, honorarium utrique commune esset. Itaque composito negotio, comparatisque instrumentis idoneis chirurgicis, ineunte auctumno decem chirurgis natione

XXXII

tione Gallis rem anatomicam sermone gallico tradidit, mox etiam Germanis quibusdam scholas anatomico-chirurgicas aperuit, easque ad aetatem usque anni 1629 continuauit. Inter haec animum applicuit ad disciplinas mathematicas, eas maxime, quarum manifestior usus in medicina esset, hortatore et duce usus TIBERIO HEMSTERHVSIO, Professore tunc temporis mathematicum Amstelodamensi, quicum multum uersabatur, quod per biennium in eius aedibus habitabat, fierique eruditus eius sermonibus studebat doctior

Tentata docendi fortuna, sic porro animum generoso consilio instituit, ut laudem, quantam posset, maximam Chirurghi exercitio consummati assequeretur, reputans secum, quantum sanitatis praesidium multis millibus hominum miserorum in Chirurgia, usu bene instructa, esset, et quam exiguus contra numerus, praesertim in Germania, excellentium Chirurgorum inueniretur. Itaque ut quam amplissimum eius artis usum sibi breui acquireret, iterum in castra belligerantium, tanquam in campum Martium, qui exercitationibus eiusmodi quam maxime pateret, se conferre statuit, collectoque omni instrumento suo chirurgico ad exercitum Foederatorum, qui tum Tornacum obsidione cinxerat, profectus est. Vbi literis RVYSCHII sui commendatitiis insinuatus praefectis nosocomiorum castrensiu, ab his officio medici castrensis ornatus, eoque statim in castris apud Tornacum, et paullo post Aldenardae, quo pluriimi fauciatorum Scaldi flumine deuehebantur, egregie

gie functus est, primario inter Batauos Chirurgo castrensi DE QVAVRE, qui reliquorum medicorum operas ordinabat, solertiam et dexteritatem HEISTERI summopere laudante. Tornaco expugnato cum in eam urbem se contulisset, ut aedificia et munimenta eius intus uideret, incidit in BRISSALTI, qui Gallorum ibi medicus fuerat, dissertationem de *cataracta*, eiusque nouam de hoc morbo sententiam intellexit, quam postea suis magis lucubrationibus ornavit. Breui interiecto tempore pugna omnium cruentissima apud Malplacetum pugnata est, qua quidem Foederati uictores, sed cum ingenti exercitus detrimento, discesserunt, et praecipue Bataui, praeter eos, quos caesos magno numero amiserant, quinque millia uulneratorum ex acie retulerunt. Hi cum maximam partem Bruxellas deferrentur, et HEISTERVS una cum Chirurgo primario plurimisque aliis eo abire iussus esset, et multi denuo sauciati ab Monte Hannoniae, qui tum oppugnabatur, asportarentur, Noster in tanta uulnerum et fracturarum multitudine et uarietate amplissimam materiam nactus experientiae exercendaeque medicinae, quae manu curat, multum in ea temporis triuit ad finem usque Decembris. Multorum etiam militum, ex uulnere mortuorum, corporibus subinde usus ad exploranda ea certiusque cognoscenda, quae sibi dubia adhuc uisa essent, reperit in oculo dissecto militis defuncti, *cataracta* laborante, hoc malum non exortum a quadam pellicula, sed ab humore crystallino opaco et turbido. Finita expeditione eius anni, exercituque in hiberna reducto, Noster rediit Amstelodamum, et scholis

XXXIV

fuis anatomicis et chirurgicis, summa hiemis inclementia, ad finem usque Aprilis continuatis, plures VERHEYENI alucinationes annotauit, et tabulas suas anatomicas, iam tum coeptas, accuratius instruxit et locupletauit

Cum Bruxellis adhuc ageret HEISTERVS officii obeundi causa, in curanda uulneratorum ualetudine, accidit, ut Norimbergensis quidam Medicus KOENIGIVS, ad uidenda nosocomia eo profectus, HEISTERVM, cuius scientiam anatomicam et chirurgicam multum praedicari audiuerat, cognoscendi causa adiret, eumque ad petendam professionem medicam in Academia Noricorum, morte IACOBI PANCRATII BRVNONIS haud ita pridem uacuefactam, multis uerbis hortaretur. Quamquam uero ille inter Batauos fortuna satis fauente, et muneribus haud contemnendis, utebatur, nec defuturam lautiores condiciones, commendatione fautorum, RVYSCHII maxime, uidebantur, spes saltem erat e medicina in opulentissima frequentissimaque urbe exercenda copias uberrimas, amplissimaque commoda adipiscendi, re tamen accuratius pensitata, quietius uitae genus molestiori, et certiora commoda incertis antetulit, atque hinc a RVYSCHIO, cuius patrocinium efflagitauerat, Celebrerrimo Norimbergensium Botanico, D. VOLKAMERO, per hunc autem Curatoribus Academiae Altorfinae, commendatus, uere ineunte anni 1699 collatam in se prouinciam Anatomiae et Chirurgiae comperit. Prius autem, quam Altorfium concederet, aequor traicere et ad Anglos proficisci statuit,
ut

ut celeberrimos in ea gente Medicos, et quae apud eos utilia in re medica notatuque digna essent, propius curatiusque cognosceret, uenia itineris ab illis Academiae curatoribus rite impetrata. Itaque ineunte mense Maio eiusdem anni in Britanniam deuectus, nihil prius ibi habuit, quam ut praestantissimos quosque in re medica uiros notos sibi et familiares redderet. Praecipue autem ABRAHAMO CYPRIANO, celeberrimo Chirurgo, adfuit, eumque calculi e uesica exsectiones subinde dexterrime perficientem, ipso permittente, spectauit. Excell. SLOANI magnum et incomparabilem rerum naturalium thesaurum, apud WOODWARDVM uero pulcherrimum apparatus lapidum figuratorum uidit, nec exiguum numerum ab eo muneri accepit. IACOBI PETTIVERI, Celebris Botanici, prolixam in se uoluntatem intellexit, et ab eo in splendidissimum hortum medicum Chelseyenssem apud Londinum, aliaque multa loca, herbis et stirpibus rarioribus confita, aliquoties deductus, multis etiam herbis, quas in remotissimis quibusque terris natas probe siccauerat, donatus est. Alius Botanici Londinensis, RANDII liberalitatem, in communicandis secum uariis graminis Anglicani generibus, expertus est. Innotuit etiam duobus Anatomicis SYLVESTRO et BUSSIERIO, natione Gallis, qui religionis causa e patria in Angliam profugerant; praestantissimo autem Medico LAVATERO, Heluetio, qui Londini scholas anatomicas et chirurgicas habere solebat, familiariter usus est, eiusque apparatus instrumentorum chirurgicorum, ut et ingeniosissimi Mechanici HAVKSBEI in-

strumenta mechanica affabre facta perlustrauit. Neque minus Celeberrimum NEWTONVM conuenit, Praesidem Regiae Societatis, cuius non solum conuentui interfuit, a PETTIVERO introductus, sed etiam notabilium et rarissimarum mercium aerarium, ex omni naturae thesauro locupletissimum, contemplatus est. Annotauit etiam, uidisse se ibidem uirum tam immensae uocis, ut solo eius sono uitrum fractum dissiliret. Praeterimus merito alia, quae urbs Britanniae primaria uidenda obtulit, regias, curias, fora, castella, templa, armamentaria, bibliothecas. Horum enim nihil fuit, quod non curate cognoscendum putaret. Sed quatuor mensium spatio iam in Anglia consumto, uisis etiam duabus eius regni Academicis, Cantabrigia et Oxonia, tandem insigni librorum rariorum, instrumentorum, plantarum et fossilium apparatu onustus, retro in Bataviam uela dedit mense Septembri, et porro amicis suis, Amstelodami et Lugduni degentibus, uale dicto, profectionem suam in Academiam Altorfinam maturauit

Venit Altorfium ineunte mense Nouembri, eiusque die XI a IO. IAC. BAIERO Med. D. et Prof. Academiae cum maxime Rectore, in collegium Professorum introductus, quinto mensis proximi die orationem aditalem de *hypothesium Medicarum fallacia et pernicie* habuit, quam programme de *ueritatis inueniendae difficultate in Physica et Medicina* publice indixerat. Scholas deinde publicas et priuatas aperuit, frequenti auditorio, et omnibus Medicae artis disciplinis continuo labore pertractandis, quamdiu
Altor-

Altorfii fuit, diligentiam suam et doctrinam facile approbavit. Sectiones cadaverum multa cum industria, et fortasse frequentius, quam antea factum fuerat, instituit. In exercenda autem medicina, tum ea quae medicamentis, tum quae manu curat, id breui nomen adeptus est, ut initio quidem e vicinis locis aulisque Principum et Comitum, mox etiam e remotioribus regionibus, in auxilium morborum uocaretur, et passim curationes chirurgicas, difficillimas sane, felici successu perageret. Anno c1510CCXI primam dissertationem Academicam proposuit *de masticatione*, cuius ueram rationem ex anatomicis et mechanicis fundamentis eruit, uariorumque in ea explicanda errores annotauit. Quam contra cum extortus esset auctor quidam obscurus et personatus, non consultum duxit, conuitiis eius respondere, neque, ut ab aliis id fieret, permittere. Eodem anno, et sequentibus, quatuor continuis dissertationibus egit *de cataracta in lente crystallina*, iisdemque anno c1510CCXIII auctis unoque libello foras datis, nouam duorum Gallorum, BRISSALTI et MAITRE-IAN, de cataracta sententiam primum per Germaniam ditulgaui. Quippe eum morbum non in pellicula quadam, in humore aqueo concreta, uersari, sed plerumque in humore crystallino, claritate amissa, obscurato euenire, multis peritorum hominum obseruationibus et experimentis demonstrauit, quamquam alteram suffusionis causam subinde extare posse, non plane diffiteretur. Huic demonstrationi etiam illud addiderat, humorem crystallinum ad uidentum non esse plane necessarium, adeoque in curatio-

XXXVIII

ne cataractae, saluo uisu, posse supprimi, praeterea amaurosin, quam plurimi insanabilem existiment; haud raro sanari posse, glaucoma contra, quod in opacitate humoris uitrei consistat, curationem non admittere. Nactus est Noster sententiae suae uehementem aduersarium, Anglum ocularium, qui Parisiis uiuebat, WOOLHVSIVM, qui non solum Diario Eruditorum Gallico acerbam libri Heisteriani censuram curauit inferendam, sed ipsum etiam epistola contumeliarum plena laceffiuit. In utraque cum HEISTERVS rem totam conuictis agi, suamque sententiam peruertere pessime atque corrumpi, animaduerteteret, defendit se *Apologia et uberiore illustratione systematis sui de cataracta*, anno clbCCXVII edita, quam tamen WOOLHVSIVS iterum superbo et amarulento scripto oppugnauit. Itaque demum HEISTERVS *Vindicias sententiae suae de cataracta, glaucomate et amaurosi*, anno clbCCXIX publicauit, eamque perspicue declaratam eruditis ita approbauit, ut WOOLHVSII litem tantum de nomine fuisse, HEISTERVM uero experientia optimisque rationibus niti, passim faterentur, uti ex diario Treuultensi, et Actis Eruditorum anni clbCCXXIII, tum e singularibus libellis ANTONII BENEVOLI Florentiae, *) et ANTONII COCCHI, Romae **) ea de quaestione editis, intelligere licuit. Quin ocularius Parisiensis longo usu experientissimus DE S' YVES, edito

*) Lettera d' Antonio Benouoli supra due obseruazioni fatte intorno alle Cateratta, in Fiorenze. 4 1722

**) Antonii Cocchi de lente crystallina oculi humani uera suffusionis sede. 8. Romae 1721.

edito anno clb^oCCXXII libro *de morbis oculorum*, HEISTERI sententiam non solum palam adoptauit, sed etiam contra WOOLHVSII iniquas cauillationes enixe grauiterque defendit, celeberrimus autem MORGAGNIUS, Anatomicus Patavinus, noua obseruatione, cum HEISTERO anno clb^oCCXXIV communicata, denuo confirmauit

Interea, dum haec controuersia agitabatur, alias permultas disquisitiones eruditas instituit, assiduamque rei medicae amplificandae industriam uariis scriptis comprobauit, quae hoc loco singula commemoranda duceremus, nisi propositum esset, indicem omnium scriptorum HEISTERI in calce huius descriptionis accuratius describere. Eminent tamen in iis, quae Altorfii elucubrauit, dissertatio *de noua methodo curandi fistulas lacrymales*, qua methodum ANELLI ab se primo in Germania feliciter tentatam, naturam item harum fistularum, et structuram ductuum lacrymalium, cum idoneis huic morbo curando instrumentis, perspicue descripsit; alia praeterea *de uera glandulae appellatione*, qua ueram eius rationem, et quibus signis ab aliis corporis humani partibus distinguatur, exposuit. Quae doctrina posthac in compendio anatomico, secundae tertiaeque editionis, enucleatius proposita, ita arrisit NOVGVEZIO, Gallico nouae institutionis anatomicae auctori, ut eam de uerbo ad uerbum in librum suum transferret, HEISTERO ne quidem nominato. Disputauit praeterea *de ualuula coli*, contra IO. BAPT. EIANCHVM, Anatomicum Taurinensem, qui cum ualuulam
a CASP.

XL

a CASP' BAVHINO inuentam, extare negauisset, Noster eam non modo reperiri eo loco, quo eam BAVHINVS demonstrasset, asseruit, sed etiam in structura et usu eius singulare sapientiae diuinae documentum demonstrauit. Iisdem fere temporibus, quibus haec scripta sunt, principes eius libri, quos solos sufficere poterat nominasse, et quibus maxime nominis celebritatem per omnes Europae terras adeptus est Noster, primum prodierunt, *Compendium anatomicum*, et *Institutiones Chirurgiae*. Illud e quatuor dissertationibus, publice defensis, quibus omnem rem anatomicam, partibus suis distinctam, descripserat, enatum, anno cIoIoCCXVII, Chirurgia autem germanice anno sequenti primum prodiit. Vterque liber, optimis utilissimisque obseruationibus refertus, breuibus temporum interuallis saepius ab auctore recognitus, emendatus, et multis accessionibus auctus, tanta orbis eruditi approbatione exceptus est, ut apud exteras Europae gentes, fere omnes, saepius typis descriptus, et in alias linguas translatus sit, in Academiis autem quam plurimis tum enchiridii loco recitationibus publicis substructus, tum Medicinae | cultoribus ad cognitionem anatomicae et chirurgicae rei recte percipiendam commendatus sit, omniumque adhuc manibus teratur

Inter haec cum fama HEISTERI in dies cresceret, non defuerunt eruditi honores, qui meritis eius deferrentur. Paucis enim annis, post quam Altorfium uenerat, allectus est sodalis Societatis Caesareae Naturae Curiosorum, item Academiae Regiae scientiarum Berolii.

rolinenfis, et poſthac pro inſtituto Societatis Caefareae permultas obſeruaciones diariis eius inferendas curauit, quas in ipſo recenſu ſcriptorum HEISTERI ſingulas ordine enumerabimus. Anno 1709 CCXIX non ſolum profeſſio medica in Academia Kilonienſi ei oblata, ſed etiam a Sereniſſima Potentiſſimae Domo Brunſuico-Lunenburgica Profeſſor Anatomies et Chirurgiae in Academiam Helmſtadienſem uocatus eſt. Cui quidem Clementiſſimo iuſſui libenter obſequi paratus, hieme tamen inſtante, quod magnitudo itineris, cum uxore et liberis ſuſcipiendi, ea tempeſtate ſibi moleſtiſſima futura uidebatur, ad initium uſque ueris ſequentis anni remanere Altorfii ſtatuit. Interiecti autem temporis ſpatium in ſtudiis et negotiis eruditis praeclare collocauit. Nam diſſertationem medico-forenſem *de foetu ex utero matris mortuae mature exſcindendo*, diligenter elaboratam, publice defendit. Qua ante omnia demonſtrans, foetum in utero, matre iam defuncta, aliquamdiu uiuere, et propterea, niſi mature incifo matris corpore educatur, aut perire ibidem, aut, quod horrendum, uiuum cum matre ſepeliri, prouocans deinde ad legem regiam, quae mulierem grauidam, utero non ſecto, ſepelire uetat, monet Theologos, Ictos, et Medicos, ut in poſterum maiorem curam horum foetuum habeant, nec eos, neglecta, ut fieri conſueuit, ſectio-
ne, utero matris mortuae ſtrangulari patiantur. Per idem tempus cum mulieri cuidam ingentem mam-
mam, gangraena infectam XII librarum pondo, expeditiſſima ratione abſtuliffet, notabilem hanc mirandamque effectiorem figura aeri incifa, et diſſertatione

XLII

ab auditore quodam suo elaborata, *de optima cancerum mammarum extirpandi ratione*, describendam curauit. Sectiones cadaverum publicas programme indicere solitus, extremis praesertim annis, quibus Altorfii uiuebat, argumentum arum scriptionum fumsit ab usu Anatomies in Theologia, sapientiaque Dei, cum ex uniuersa corporis humani fabrica, tum ex singularum partium excellentia et usu, demonstranda, idemque institutum posthac Helmstadii persecutus est. Mense Septembri anni 1719, cum Eichstadii in horto Episcopali magnam Aloen Americanam florere audiuisset, nonnullis Medicinae cultoribus comitatus ad rarum illud et admirabile spectaculum profectus est, uisisque simul aliis rebus eius urbis memorabilibus, iter Ingolstadium flexit, ad inclitam Bauariae Academiam, ubi a publicis Medicinae Professoribus, praecipue MORASCHIO, honorifice acceptus est, eodemque adiuuante Collegia Academiae, bibliothecam, templa eorumque ornamenta, speculam item astronomicam, SCHEINERI magni Mathematici obseruationibus celebrem, perlustrauit. Paulo post, quam Altorfium reuerterat, instituta publice sectione cadaveris, phosphorum, qui res ignem concipientes, quascunque attigerit, illico inflammat, e cerebro humano praeparauit, experimentumque eius rei, admirantibus cunctis, qui adessent, felici successu factum, in fastis Academiae Altorfinae anno 1719, mense Nouembri, relatum legitur. Restant alia quaedam industriae studii-que HEISTERI, in excolenda rei medicae scientia singularis, exempla, quae ideo hoc loco commemoranda

randa ducimus, quod ea Altorfii perficienda suscepit. Primo autem loco huc referimus instructum thesauri herbarii, quem collectum et in ordinem redactum Altorfii primum adornare instituit. Etenim apparatu herbarum plantarumque, quas peregrinationibus suis eruditus antea magno numero collegerat, ex Altorfino, Norimbergensibus, aliisque locupletissimis hortis, liberalitate etiam VOLKAMERI, Botanici Norimbergensis, mirum in modum aucto, et ut cunque asseruato, eius demum ordinandi concinnandique hanc rationem suscepit, ut, adiuuantibus nonnullis Medicinae studiosis, herbas uel singulas, uel plures eiusdem generis minores, chartae purae candidaeque dimidiatis plagulis agglutinaret, singulifque sua nomina ad mentem IO. RAI et HOTTONIS, saepe etiam TOVRNEFORTII et RIVINI, adscribe- ret, magnis denique uoluminibus, e charta formae maximae compactis et adornatis, singula folia infere- ret eo ordine, quem IO. RAIVS methodo sua planta- rum monstrauit. Quo thesauro digesto, et uelut in oculos suos disposito, magnitudo eius apparuit, cum amplius sex millibus herbarum, quibus constabat, capiendis sex et sexaginta magna uolumina uix suffi- cerent, quibus succedente tempore ea accessio facta est, ut uolumina alia haud pauca adiungenda essent. Praeterea Altorfii omnium generum semina et fru- ctus coepit colligere, penumque instruxit rerum na- turalium et raritate notabilium, in quam lapides con- gessit figuratos, conchylia, pisces, aliaque animalia in lapidem uersa, fossilia item uarii generis, et rei me- tallicae selectiora exempla. Neque minus anatomicam sibi suppellectilem comparauit earum rerum, quas

XLIV

in secandis aut manu curandis corporibus notatu dignas reperisset, habuitque sceleta humana cuiuscunque aetatis et sexus, foetus aut abortus omnium mensium, monstra item, et varias corporis humani partes, forma insolita aut aliquo damno insignes, eaque omnia partim ceromate peruncta et indurata, partim liquore odorato condita asseruauit. Denique uero, ne quid sibi deesset facultatis ad ornandam rerum medicarum scientiam, cum in edendis figuris et tabulis aeneis animaduertisset, chalcographi negligentia aut errore multa saepius perperam exprimi, quibus, absente sculptore, solo literarum ammonitu difficiliter occurratur, HEISTERVS consultum duxit, artem in aes incidendi Altorfii addiscere, ut ea ope instructus ipse apponere omissa, et corrigere deprauata posset, nec necesse haberet tabulas aeneas sculptori emendandas remittere

Postquam igitur Altorfii per decennium summa omnium existimatione uixerat, anno huius saeculi XX die II Maii iter suscepit Helmstadium, et magno amicorum comitatu, qui abeuntem officii causa profesequebantur, longius ab urbe progressus, ad meridiem Norimbergae interiunxit, indeque statim per Bambergam et Coburgum ad Academias Saxoniae uiam direxit, quas hoc itinere propius cognoscere constitutum habebat. Itaque Ienae WEDELIO, FICKIUM, TEICHMEIERVM, HILSCHERVM, et praestantissimum Mathematicum WIDEBURGIUM, Lipsiae clarissimos uiros BOERNERVM, RIVINVM, PAVLVM, SCHACHERVM, ETTMULLERVM,
MEN-

MENCKENIVM, et PLATNERVM salutavit, Halis denique THOMASIVM, GVNDLINGIVM, COSCHWITIVM et WOLFIVM conuenit, nec omisit cuiusque urbis bibliothecas et hortos splendiores perlustrare. Peruenit autem Helmstadium die XIII Maii, et re domestica aliquantum ordinata, salutatisque collegis, professionem suscepit Hannoueram et Guelferbytum, ad officium in utraque aula subiectissime faciendum, simulque amplissimas in utraque urbe bibliothecas uidit, et magnificum illud uereque augustum SERENISSIMI DVCIS praetorium, prope Guelferbytum, quod Salinarum uallis dicitur, in eoque rerum rarissimarum pretiosissimarumque gazam curioso oculo spectauit. Inde reuersus et a S. R. WEISIO, Doctore Theologo et tum Prorectore Academiae, in collegium Professorum introductus, mense Iunio, oratione aditali *de incrementis Anatomiae in hoc saeculo* recitata, superioribus uiginti annis tantum scriptorum anatomicorum prouentum, tantamque inuentorum et emendationum rei anatomicae copiam fuisse demonstrauit, quantam uix omnia retro saecula ostendant. Eodem die cadauer masculinum nactus, primas lectiones et demonstrationes anatomicas programme *de Dei cognitione ex intestinorum crassorum fabrica et usu* indixit, hisque absolutis publice scholas physiologicas, priuatim theoreticas et practicas aperuit, ad quas proscripto libello *de inuentis anatomicis huius saeculi* inuitauit

Quibus deinceps laboribus eruditus in Academia Helmstadiensi perfunctus sit, quibus porro incla-

ruerit studiis, et quae meditamenta exercitiaque suscepit ad augendam salutis humanae scientiam, longius hic repetere et enarrare non uacat, facileque est scriptorum eius summario, quod hisce paginis subiungimus, intelligitur. Orationes in laurea Medicinae aliaque Academiae celebritate permultas habuit, eruditi amoenique argumenti, quamquam typis haud euulgatas. In his ea est, quam anno c1-b CCXXV, in publica Doctorum Medicinae renuntiatione, *de utilitate Medicinae in Iurisprudentia* recitauit, postea publice disputandi causa propositam; et alia, pro more Academiae nostrae in eius natali eodem anno dicta, *de Potentissimae Domus Guelficae meritis in rem medicam*. Quod argumentum pro deuota Domui Guelficae pietate sua aliis deinceps orationibus, maximeque ea, quam extremam omnium superiore anno in eiusdem natalis solempni habuit, persecutus est. Inter cetera autem meditamenta ornandae rei medicae de CONRINGII *introductione in artem medicam eiusque scriptores optimos*, iam a SCHELHAMMERO ad annum c1-b CLXXXVII continuata, nouis a se accessionibus amplificanda, cogitauit, uoluitque ei libro non solum recentiorum scriptorum ad nostram aetatem supplementum, sed etiam e ueteribus adiacere haud paucos, a prioribus neglectos editoribus, totam autem libri doctrinam sic ad optima recentiorum Medicorum scita conformare, ut literatis Medicinae studiosis maiorem utilitatem afferre posset. Sed hoc opus minus eliminare et perficere potuit, aut negotiorum multitudine impeditus, aut aliena culpa retardatus. Molitus etiam *catalogum plantarum circa*
Helm-

Helmstadium nascentium, non solum colligendis et describendis iis subinde otium suum aestiuo tempore impertiuit, et quasdam rariores plantas delinearari curauit, sed alias etiam obseruationes botanicas et animaduersiones, TOVRNEFORTIO et RAI0 emendando, literis mandauit, opportuno tempore editurus. Ab anno cIoCCXXII obseruationes barometricas, Mercurii uariatione et tempestatum uicissitudine annotanda, singulis diebus instituit, easque in annalibus Academiae Iuliae publicare consueuit. Sectiones cadauerum humanorum, quoad munere Anatomico functus est, publice priuatimque quam plurimas peregit, omnibusque fere prolusionibus, quibus publice instituendas indixit, cognoscendam e singulis corporis humani partibus diuini fabricatoris sapientiam celebrauit, ita quidem, ut a summo literatore IO' ALBERTO FABRICIO inter scriptores, qui ueritatem religionis Christianae asseruerunt, cum laude referri mereretur. *) Memorabilis in primis ea sectio fuit, quam anno huius saeculi XXII in cadauere mulieris grauidae instituit, quae extremo grauiditatis mense, capite glande plumbea traiecto, occubuerat. Ad quod ueluti rarum spectaculum cum magna hominum, illustrium etiam et peregre aduenientium, multitudo confluxisset, HEISTERVS uniuersum grauidae mulieris, partui proximae, habitum, quaeque ad ipsum uterum et foetum spectant, demonstratione accurata explicauit. In aliis sectionibus, quas priuatim obiit saepissime, tam adultorum quam infantum, singulari genere morbi aut uiolenta morte defun-

*) pag. 292

XLVIII

functorum, mulierum item partu difficili extinctarum, haud raro peculiare mortis causas obseruauit, quas perinde atque alia, quae notatu digna reperisset, in diariis atque actis Naturae Curiosorum commemorare solitus est

Anatomici munus ad annum usque 1700 gessit, quo iussu Serenissimorum Principum, Academiae Nutriciorum, Medicinae theoreticae et Botanices prouinciam suscepit. Theoreticam anno 1700, mortuo BRANDANO MEIBOMIO, Medicinae Professore primario, cum practica commutauit, retenta Chirurgiae et rei herbariae professione. Cum Botanices docendae officio cura simul horti medici demandata est, quam tanta cum laude gessit, ut Academia in horto eo perpetuum monumentum industriae et meritorum HEISTERI habitura sit. Etenim admirabili plantarum, stirpium, fructuum arborumque copia confusus, multaque arte, opere topiario et xyltis exornatus, aedificiis denique uarioque instrumento, ad culturam et conseruationem rei hortensis necessario, paratus instructusque est, ut admirationi uoluptatiue uisentibus sit, interque praestantissimos Germaniae hortos habeatur. Ad eam copiae splendorisque amplitudinem perfectus est liberalitate et indulgentia Serenissimorum Academiae Nutriciorum, sed annitente et apparante omnia HEISTERO, qui nullis parsit laboribus, ut hortum quam pulcherrime exornaret. Anno 1700 horti cura suscepta, cum uix ducentis instructum plantis reperisset, harum numerum intra paucorum annorum spatium ad aliquot mil.

millia auxit, idque testatum fecit edito subinde catalogo plantarum, quas singulis annis in hortum intulisset. Iis porro anno **clbCCXXXVIII** insignis et maxime memorabilis accessio eiusdem **HEISTERI** studio facta est. Quippe Consult. **IO. HENRICVS SPRECKELSENIUS**, Senatus Reipublicae Hamburgensis Secretarius meritissimus, egregium plantarum rarissimarum apparatus, quas ex omnibus orbis terrarum partibus magno sumtu arcessitas, et viginti annorum studio collectas asseruauerat, rogatu **HEISTERI** adductus, horto Academiae Iuliae donauit, earumque transportatio **CCC** amplius argenteorum uncialium impensa constitit. Tantaem autem plantarum multitudinem cum angustior horti area haud sufficere, idemque asperis Aquilonibus nimium expositus uideretur, anno **clbCCXXXIX** supplicibus a Serenissimo Duce et Domino nostro **CAROLO** literis impetrauit, ut, uendito eo, alius idemque amplior fundus, post templum St. Walpurgis situs, coemtis quibusdam ad amplitudinem spatii uicinarum hortulis, adornando horto medico pararetur. In hoc igitur, curante **HEISTERO**, non mediocri sumtu, nouum aedificium cum heliocamino, quo tenerum arborum nemus ab hibernae aerae iniuriis defenderetur, exstructum est, ita quidem, ut non solum specularibus Austro obiectis plenum solem admittat, sed etiam noua arte, siphonibus per pauimentum ductis, conceptum e fornacibus calorem, ad fouendas arbores plantasque, salubri temperamento huc illuc digerat et ministret. Accesserunt insequentibus annis alia ad perfectiorem horti instructum, aedificata domus hortulani, ductus ante hortum murus, atque areis commode

L
rigandis puteus apparatus est, ipso HEISTERO expensarum omnium rationes conficiente, quo annitente etiam anno 1656 CCXLIX effectum est, ut a SERENISSIMO PRINCIPE plena horto immunitas daretur

Quantam autem Academiae curis et laboribus eruditae utilitatem attulit, tantam sane aliis exterisque hominibus opis medicae dexteritate. Nam medicinam operosissime assidueque fecit, et Chirurgiae maxime scientia et usu nobilis, in curandis corporis affectionibus malis, utriusque externis, operationes chirurgicas omnium generum, difficillimas haud raro et desperatas, feliciter peregit, atque innumeros homines summis molestiis et cruciatibus liberavit. Quas cum ille semper sua manu perficeret, dici non potest, quantam inde sibi nominis celebritatem parauerit, et quae assidue fuerint hominum infirmorum desideria, opem eius et manum medicam exposcentium. Quippe non solum ab indigenis uicinisque aegrotis arcessitus, sed etiam in longinquas remotasque regiones principum illustriumque hominum literis euocatus est, plurimaque eius generis itinera, et praeter alia, Rostochium, Bremam, Berolinum, Dresdam, Berurum, Vinariam, Geram, Suerinum, Hannoueram suscepit. Ut alios taceamus quam plurimos, e remotioribus locis, qui aut literis ad HEISTERVM datis consilia sibi medica expetierunt, aut, morbo sic permittente, ipsi Helmstadium commigrantes eius curae se crediderunt, quorum sane ea frequentia fuit, ut raro aliquod tempus incideret, quo non aliquem peregrinum, sanitatis causa ab HEISTERO recipiendae, hic commorari uideremus

Cun-

Cunctis officii partibus et uitae suae instituto ut apprime satisfaceret, indefessam operam adhibuit, rebusque suis omnibus, quod magnum perfectumque esset, spectauit, eumque sibi et rei librariae et uarii instrumenti apparatus comparauit, qui ad medicinam, docendam aequae ac exercendam, instructissimum redderet, et magnum consummatumque Medicum et Chirurgum deceret. Bibliothecae eius, quam cum omni rei medicae, tum anatomicae praecipue et chirurgicae locupletandae adornauit, tanta fuit amplitudo, ut plus quam dena millia anatomicorum et chirurgicorum librorum complecteretur, quos uariis exaratos linguis, et ex omnibus Europae regnis multo labore magnisque sumptibus conquisitos, suis non solum, sed et aliorum usibus, artis medicae studiosorum, comparauit, ut inde incrementa medicinae, et recentissima quaeque subsidia, cognosci et depromi possent. In his sunt centum et sexaginta uolumina disputationum Academicarum, quarum indicem accuratum confecerat, ut, quo quaeque uolumine contineretur, statim scire posset. Bibliothecae medicae tam amplae insigni ornamento fuerunt imagines aere expressae celebrium Medicorum quadringentae amplius, quibus alia haud minor copia tabularum accessit, Principum, illustriumque uirorum, Theologorum, Ictorum et Philosophorum uultus referentium. Instrumentorum autem, operibus chirurgicis et anatomicis inferuentium, quae sibi nitide assabreque facta haud exiguis impensis comparauit, tantus apparatus fuit, quantus uix apud alium reperitur. Thesaurus herbarius amplitudine memora-

LII
bilis, et ordine elegantiaque conspicuus, fortasse paucos sibi pares habet, et nonaginta magnis uoluminibus constat, in quo, congestis maximam partem herbis, quae unquam ex aliis orbis terrarum partibus allatae in Europa, saltim in Germania Belgioque, uisae sunt, quidam ueluti hortus orbis terrarum explicatur, oculos animumque intuentium utili iucunditate pascens. Museum anatomicum, et rerum naturalium aerarium, quod Altorfii iam adornare coepit, quauis data occasione continuaque industria auxit, atque ita instruxit, ut permultis earum rerum curiosis et intelligentibus uidendi sui desiderium iniiceret. Magnum denique, ad excellentiam doctrinae medicae, omniaque eius incrementa cognoscenda, subsidium habuit in frequentissimo amplissimoque literarum commercio, quod cum praestantissimis quibusque Medicis et Chirurgis, aliisque eruditis uiris, tam in Germania, quam in ceteris Europae regnis, coluit, ex quo eam utilitatem cepit, ut, quae in quaque regione utilis inuentio, aut noua accessio et emendatio doctrinae medicae, facta esset, mature rescisceret, bonos nouosque libros, et instrumenta recentius fabricata, acciperet, eaque omnia quam primum ad usum suum conferre posset. Insignem numerum doctorum uirorum in Italia, Gallia, Anglia, Belgio, Germania, aliisque regnis, recensere possemus, quibuscum HEISTERVS colloqui per literas consueuit, si ea res et multum utilitatis, et nihil taedii habitura esset. Ut tamen fama Viri latissime euagata, singularisque apud exteros existimatio, constet, aliquos saltem et celebriores uiros e quauis gente commemorabimus. E
Ger.

Germania igitur nominasse sufficiat Gerard. van Swieten, Albertum de Haller, Paul. Gottl. Werlhofium, Christoph. Jac. Treu, Io. Phil. Burgrauium, Io. Christ. Lifchwitz, Franc. Zieglerum, Abrah. Vaterum, Georg. Matth. Bosium, Mich. Matth. Ludolf, Io. Arn. Timmermannum, Bernerum, Stockhusium, Christ. Mart. Burchardum. Ex Italia Io. Bapt. Morgagnum, Iulium Pontederam, Anton. Valisnerium, Angelum Attil. Tillium, Anton. Beneuolum, Petr. Anton. Michelottum, Io. Targionium, Ianum Blancum, Xaverium Manettum, Io. Franc. Seguierium. E Gallis Iacobum Benignum Winslow, de St. Yves, Petitum, le Dran, Maurandum, le Cat, Antonium de Iussieu. Ex Hispanis Andream Garciam Vasquez. Ex Anglis commemorandi Ioannes Sloane, Richardus Mead, Guil. Chefelden, Iac. Douglasius, Isaacus Rand, Martinus, Humphr. Sibthorpe. E Belgio Frid. Ruyfchius, Hermannus Boerhave, Bernh. Sigfr. Albinus, Tib. Hemsterhusius, Io. Burmann, Io. Frid. Gronouius, Io. Georg. Duvernoy, Adrianus van Royen, Adrianus Verduyn, Clyfortius, Io. Grashuys, Euerh. Iac. Wachendorf, Hieron. Dan. Gaubius, Io. Dan. Schlichting, Io. Sermesius. E Dania Franc. de Franckenau. E Suecia Carolus Linnaeus, Io. van Hoorn. E Russia Iosephus Weitbrecht

Sic priuatis non minus operis, quam publicis monumentis ingenii, fama HEISTERI et celebritate nominis longe lateque propagata, eueniebat, ut et exteri Principes suis eum commodare terris perciperent,

rent, insignesque passim honores ei deferrentur. Nam haud multo post, quam Helmstadium concesserat, tempore, Russorum Imperator PETRVS I eum in Academiam recens institutam Petropolitanam uocauit, duo millia solidorum Russicorum, annui stipendii loco, praeterea hospitium, ligna et lumina gratis praebenda pollicitus, simulque pro bibliotheca eius et thesauro herbario quatuor millia argenteorum uncialium obtulit. Anno huius saeculi XXV iussu Reuerendissimi Wurceburgi et Bambergae Episcopi, magni et intelligentis artium literarumque existimatoris, actum cum HEISTERO de munere Anatomici et Chirurgi in aula Episcopali suscipiendo, delatis una Archiatri et Consiliiarii ornamentis. Propositum ei annum salarium mille solidorum imperialium, cum congiario uini et frumenti uberrimo, permissaque facultas religionis Euangelicae libere obeundae et exercendae. Porro autem Serenissimus Dux Holstiae anno 1699 eum sibi depoposcit ad locum Archiatri et Professoris Medici in Academia Kiloniensi capiendum, quibus honoribus dignitas Consiliiarii Iustitiae adiungebatur. Sed hisce conditionibus, quamuis lautissimis et summorum Principum liberalitate dignis, minus sollicitus est, potiusque in fide et officio Serenissimae Domus Guelficae, cui se totum addixerat, manere decreuit. Quapropter Serenissimus Dux LYDOLPHVS, HEISTERI in se fidem remuneraturus, eum non solum accessione salarii luculenta, sed Archiatri etiam et Consiliiarii aulici dignitate, auxit, anno 1704. His Principalis indulgentiae documen-

mentis alii accefferunt honores, iudicio fodalitatum literariarum in eum porro collati. Fama enim HEISTERI, quae finibus Germaniae iam minus continebatur, dudum ad externos euagata, anno 1650 XLVI societatem eruditam Londinatem, et Florentinam Botanicam adduxit, ut eum sibi sodalem adscriberent. Eodem anno, defuncto Academiae nostrae Seniore, HERMANNO von der HARDT, in eiusdem dignitatis locum successit, quem per duodecim annos ea existimatione tenuit, ut nemo esset, quin Virum et aetate uenerabilem, et meritis ornatissimum, quauis honoris significatione prosequeretur

Academicos honores, qui in orbem ire per omnes solent, octo et quadraginta annis professorii muneris, compluries gessit. Fasces Academiae Altorfii quidem semel, Helmstadii autem sexies, nempe annis huius saeculi XXIII, XXIX, XXXIII, XXXVII, XLIII et XLIX tenuit. Aetate posthac ingrauescente, urgentibusque aliis negotiis, eiusdem muneris, ordine redeuntis, bis ei gratia facta est rogatu suo. Decani Ordinis Medici officio in Altorfina Academia quater, in nostra quindecies, functus est, atque in eodem administrando insignem numerum candidatorum laurea Medicinae decorauit, qui eo honore a magno HEISTERO ornari, magnam honoris sui accessionem reputarunt

Quantis autem famae et honorum ornamentis, tantis rei domesticae praesidiis abundauit, matrimonio fecundissimo et artis usu uberrimo eam rei familia-

miliaris amplitudinem nactus, ut beatissimus haberi potuisset, nisi iniquius fatum felicitatem eius plurimis liberorum mortibus attriuisset. Matrimonium anno 1605CCXII, die XVII Maii, Altorfii iniiit cum EVA MARIA, HENRICI HILDEBRANDI, celeberrimi Icti et tunc temporis Pandectarum Professoris publici, postea Antecessoris ibidem primarii, Serenissimi Ducis Sulzbacensis et Reipublicae Norimbergensis a consiliis, totiusque Academiae Senioris, unica filia. Hanc uxorem recti exempli anno 1605CCXLVIII moestus extulit, coniugium eius ad suauitatem uitae, et curam rei familiaris, per septem et triginta fere annos, commodissimum expertus. Suscepit autem ex ea decem liberos, Henricum Laurentium, Eliam Fridericum, Catharinam Mariam Dorotheam, Dorotheam Mariam, Sophiam Mariam, Eleonoram Carolam Elisabetam, Margaretam Catharinam Iustinam, Gottlibium Augustum, Dorotheam Fridericam, et Eleonoram Elisabetam Wilhelminam. Ex his duo filii in tenera aetate, quatuor filiae, nondum anniculae, decesserunt. Vnicus, qui restabat, filius ELIAS FRIDERICVS, anno 1605CCXV natus, quo maiorem Patri uoluptatem recto ingenio praestantique doctrina creauerat, hoc acerbiore fato ereptus est, in maxima omnium expectatione et in ipsis famae, iam maturae, primordiis extinctus. Nam pleno gradu ad paternam laudem grassatus, et, uariis artis doctrinaeque experimentis editis, ab ipso Patre Doctoris Medicinae, et a SERENISSIMO PRINCIPE Consiliiarii, dignitate ornatus, ab Academia item Naturae Curiosorum sodalis assumtus, cum

cum literario itinere totam fere Germaniam peragrasset, abfens etiam Professor Medicinae Ordinarius et Collega Patris effret designatus, anno c1013CCXL die XI Nou. Lugduni Batavorum praeter omnium opinionem cardialgia periit, parentesque suos in acerbissimum luctum coniecit. Maioris etiam filiae CATHARINAE MARIAE DOROTHEAE anno c1013CCLVI Pater ipse funus extulit. Quae quidem Max. Reu. Viro ARNOLDO IOANNI FRIDERICO HARDINGIO, ecclesiae, quae Cellis est, Sacerdoti praeclare merito, anno c1013CCXXXV nuptum collocata, sed postero anno praemature mariti obitu uiduata, et mox in domum recepta Patris, eundem primo auum fecit, filiam enixa posthumam, porro etiam re familiari, praesertim post matris obitum, nauiter administranda, Patri optatum senectutis subsidium attulit, cum tamen tenui plerumque ualetudine uteretur, tandem anno eo, quem diximus, febril ardente correpta diem obiit. Neptem ex ea natam DOROTHEAM SOPHIAM FRIDERICAM HARDINGIAM, Vir Experientissimus atque Amplissimus GVILIELMVS FRIDERICVS CAPPELLVS, Medicinae Doctor et Professor in hac Academia extraordinarius, uiuo adhuc Auo sibi desponsam, paucis abhinc diebus domum duxit. Praeter neptem superstites Patri duae filiae sunt, SOPHIA MARIA, et MARGARETA CATHARINA IUSTINA, quae Viris excellenti doctrina et dignitate nuptae, generis sui stirpe domum paternam fulserunt. Illa enim, anno c1013CCXXI nata, e matrimonio, breui illo quidem, cum Illustri Experientissimoque Viro, IO. FRIDERICO

H

RICO

LVIII

RICO CRELLIO, Med. Doct. et Professore Publico Ordinario, quem anno 1627 in ipsa magistratus Academici purpura defunctum, cum familia amplissima uniuersa Academia grauissime luxit, par liberorum tulit praeclarae indolis, Mariam Catharinam Ludouicam et Laurentium Florentem Fridericum, quibus Auis mirifice delectatus est. Altera autem MARGARETA CATHARINA IUSTINA initum anno 1628 coniugium Viri Experimentissimi atque Amplissimi IOHANNIS GUILLIELMI WIDMANNI, Doctoris Medici, Reipublicae Norimbergensis Physici Ordin. et Academiae Caesareae Naturae Curiosorum Sodalis, eximiis uirtutibus omni- que laude matronali etiamnum ornat, nec minore stirpis ubertate, tres filios duasque filias enixa, Io. Laurentium Guilielmum, Margaretam Barbaram Iustinam, Christophorum Iacobum, Claram Susannam et Henricum Laurentium, quorum tamen primus et postremus extincti sunt. His igitur in stirpibus resedit magni HEISTERI progenies, quae quamquam ipsum nomen Heisterum, filiis immaturo fato interceptis, non retinet, tamen in reliqua hereditate optimam possessionem habet gloriam progenitoris sui, quam si imitari factis et conseruare annitetur, nec Heisteriano nomini uidebitur sua posteritas defuisse

Prosperitate ualetudinis fere continua usus est, et uix uno alteroque morbo tentatus in uita, senectutem placidam uigentemque egit, artis suae in propria ualetudine curanda adeo non indigens, ut mul-
tis

tis ante mortem annis medicamentum non gustauerit. Praefens autem annus, ut plurimis aliis funestus, et uulgatis per homines morbis pestilens fuit, Senem alias ualidum improviso deiecit. Vt tamen stantem mori Imperatorem Vespasianus uolebat, ita hic ueluti in arena sua mortuus, et cum alius saluti opitulari uellet, ipse morbum interitumque inuenit. Grauior aenau sub initium ueris Seni nostro tussim, destillationem, raucitatem et insomniam attulerat. Interea ab ignoto quopiam, qui peregre aduenerat, in uicum Regiae Lutterae proximum, qui Bornum uocatur, inuitatus, ut sibi male affecto opem manumque medicam praestaret, cum se itineri statim dedisset, aduentu suo tam se defectum uiribus languentemque sensit, ut illico lecto decumbere, et institutam curationem deferere cogeretur. Accitus protinus Helmstadio, ad opem operamque aegroti Collegae commodandam, Vir Illustris et Experientissimus PHILIPPVS CONRADVS FABRICIUS, rationem morbi euentumque mortis HEISTERI ipse tabulis mandauit, quas humanissime nobiscum communicatas hoc loco interserere consultum duximus:

„ Morbus, qui uenerandum Academiae nostrae
 „ Seniore et totius literati orbis aeternum decus,
 „ Illustrum HEISTERVM mortalium consortio
 „ eripuit, erat febris catarrhalis maligna, qua is in
 „ uicinia nostra, quum alius saluti consulere uellet,
 „ correptus fuit, antea iam raucedine, tussi et agrypnia laborans. Aderat initio statim huic febrim,
 „ uersus noctem semper acerbiori, summa prostratio

LX

„ tio uirium, cum coryza affectioneque capitis uer-
„ tiginosa, lingua erat sicca et mucositate obducta,
„ ac in sura dextra erumpebat erysipelas cum ma-
„ gna uesica, ulcus relincente. In consilium uoca-
„ tus opposui huic morbo tam pulueres absorbentes
„ citratos, bezoardicos fixos et nitratos cum
„ camphora, infusumque quoddam pectorale, quam
„ alia remedia analeptica, temperantia et bechica
„ praestantissima quaeque mihi cognita, et alias in si-
„ mili casu proficua reperta, sed incassum, uiribus
„ aetate et tot itineribus et laboribus exhaustis, ad-
„ eoque efficaciam medicamentorum iuuare non
„ ualentibus. Quocirca factum fuit, ut respiratione
„ et excreatione mucosae sensim difficilius reddita, die
„ XVIII Aprilis hora V pomeridiana hanc uitam,
„ tanta cum gloria et totius generis humani bono
„ transactam, relinqueret, et animam Deo red-
„ deret „

Funus HEISTERO die IV Maii cum publica ex-
sequiarum dignitate instructum, et postquam eius
memoriae parentatum a Sum. Ven. Abbate IO. ERN-
SCHVBERTO graui oratione erat, magno comitatu
in templum S. Stephani deductum est, ubi lessu inter
concertus musicos decantato, et concione funebri a
Plur. Reu. ASCANIO CHRISTOPH. MEELBAVM,
Archidiacono ecclesiae meritissimo, ad populum ha-
bita, exuuias magni Viri in parte coemeterii meridi-
ali humatae sunt

Quantum in HEISTERO ornamentum Acade-
miae

miae amiserimus, multis extollere uerbis non opus est, et uniuersi orbis eruditi, quem fama eius peruagata est, iudicio abunde constat. Eius enim ingenium ad miraculum solers, et ornandae Medicinae natum, tanta industria uniuersum huius scientiae fundum excoluit, tot noua a se inuenta aut incognita aliis protraxit in lucem, tot obscura declarauit, tot aliorum obseruata correxit aut confirmauit, plurimas denique eruditionis medicae disciplinas tam plene accurateque tradidit, ut nemo in orbe literato futurus sit Medicinae paullo peritior, qui merita HEISTERI non agnoscat, aut se doctrina eius non multum profecisse fateatur. Et quamquam merita eius in re Anatomica et Chirurgica praecipue spectata, omnique laude superiora sunt, ita tamen in reliquis artis Medicae partibus elaborauit, ut, si uel in una saltem earum effecisset, quod in omnibus praestitit, sine dubio magnus habendus esset. Itaque ad honorem magis, quem eius memoriae debemus, quam ad aliquam laudis eius, dudum manifestae et celebratae, exornationem referimus, quod hoc loco celebres Viros nominandos putamus, qui amplissimo testimonio, scriptis suis prodito, merita HEISTERI cohonestarunt. Alii enim factas ab eo obseruationes emendationesque rei medicae commemorant, meritaque laude impertiunt, ut IO. BAPT. MORGAGNVS, a) qui etiam duas epistolas, alteram in Corn. Celsum, alteram in Serenum Sammonicum, HEISTERO dedicauit, FRIDERICVS b) et IO. MAVRITIUS c) HOF-

a) In aduersariis anatomicis, multis locis ...

b) In Medicin. ration. Tom. I, p. 347

LXII

MANNI, IO' ALB' FABRICIVS, d) PETRVS GERIKE, e) PLATNERVS. f) Alii mentionem eius utcunq̄ue iniicientes ampliffimis mactant elogiis, et nunc *clariffimum Anatomicum et Chirurgum*, nunc *excellentiſſimum, meritiſſimum, dexterrimum*, nunc *oculatiſſimum aevi noſtri, imo ſummum Germaniae Anatomicum, et cum paucis hodie conferendum*, nunc *Chirurgorum principem et antefignanum* appellant. In quibus nominare poſſumus, exteros quidem IO' BAPT' VVLPIVM, g) VALISNERIVM, h) MANGETVM, i) PETR' ANTON' MICHELOTVM; k) e Germaniſ autem IO' FABRICIVM l) ABRAHAMVM VATERV, m) COSCHWITIVM, n) IO' AD' MORASCHIVM, o) CHRIST' MART' BVRCHARDVM, p) IO' CHRIST' LISCHWITIVM, q) CHRIST' GODOFR' STENZELIVM. r) His accenſere poſſumus uaria eruditorum
Dia-

- c) In diſquiſit. corporis humani anatomico-pathologica, p. 295
- d) In catal. ſcriptorum, qui uerit. relig. Chriſtianae aſſeruerunt, p. 292
- e) In diſſert. de ſtudio nouitatis in anatomia, p. 6
- f) In prooem. diſſert. de fiſtula lacrymali
- g) In dedicatione, quam Celſo praemiſit.
- h) In tract. de corp. marini. p. 179
- i) In biblioth. chirurg. Tom. I, p. 499
- k) In tract. de ſeparatione fluidorum in corpore animali
- l) In hiſtoria bibliothecae Fabric. P. VI, p. 41, et p. 285
- m) In deſcriptione noui ductus ſaliualis
- n) In manuſcriptione ad Chirurgiam, multis locis
- o) In tract. de morbis externis capitis
- p) In programmate de Chirurgiae notitia Medico neceſſaria, diſſertationi de tumoribus ſcirrhoſis praemiſſo
- q) In diſſert. de ortu et propagatione hominum, p. 84
- r) In diſſert. de ſteatomatibus in principio aortae, p. 49

Diaria, quae in recensendis et commendandis HEISTERI scriptis honorifica auctorem collaudatione prosequuntur, qualia sunt *Acta Eruditorum Lipsiensia*, latina et germanica, *Memoriae Treuultiensis*, *Respublica Eruditorum*, in Belgio euulgata, *Bibliotheca Hallensis mixta*, parte prima tertiaque, et *Diarium Parisiense Eruditorum*, anni clobCCXX, XXIV, et XXV, insignibus HEISTERI praeconiis referta

Detecta eius anatomica et inuenta chirurgica tanto numero prostant, ut qui singula recensere operosius uellet, integri libri laborem suscepturus uideretur. Neque uero ea, saltem praecipua, fugere quemquam poterunt, qui Medicinam non primis, ut aiunt, labris degustauit, et libros HEISTERI assidua, ut decet, manu uersat. Itaque recensendi ea labore, qui ambitiosus quibusdam uideri posset, libenter superfedemus, eo magis, quod ab aliis dudum operam eam susceptam esse nouimus. Nam CHRISTIANVS POLYCARPVS LEPORINVS, Med. D. uita HEISTERI germanice conscripta, meritorum eius in locupletanda Medicinae disciplina recensum satis amplum egit, et, quod sigillatim ad anatomicam attinet, D. IO. ANDREAS SCHMIDIVS, Chemiae Professor Helmstadiensis, oratione *de Germanorum in Anatomiam meritis*, anno clobCCXXIII edita, haud pauca eius experimenta, breui ueluti summario comprehensa, enarrauit, pari in HEISTERI merita animo ductus, atque hic antea in aditu professionis medicae aliorum huius saeculi uiro- rum inuenta anatomica oratione praedicauerat. Quae autem experimenta
et

LXIV

et obseruationes, ad exornandum artis medicae studium, singularibus libellis explicatas euulgauit, harum quasi seriem et progressum in ipso scriptorum HEISTERI indice exhibemus, quem ordine annorum concinnatum, et partim ab ipso auctore descriptum, huic dissertationi subiungimus, ita quidem, ut eorum librorum, quos B. Auctor iteratis curis auctiores emendatioresque publicauit, primae editioni statim posteriores, una cum exterorum uersionibus, subiiciamus

Atque haec ea sunt monumenta ingenii, quae quouis aere et marmore perenniora memoriam HEISTERI ad omnem aetatem conseruabunt, et dum homines erunt, qui Medicinae dabunt operam, huius certe nomen, ut magni rei medicae amplificatoris, celebrabitur, summisque eius in salutem humanam meritis digna gratia referetur. Academia uero nostra memoriam eius hoc perseverantius sanctiusque recolet, quo libentius fatebitur, HEISTERI nomine se non mediocriter illustratam. P. P. In Academia
Iulia Carolina d. XIV Aug.

clb CCLVIII



DESI-

DESIGNATIO
 LIBRORVM DISSERTATIONVM
 ALIARVMQVE EXERCITATIONVM
 LAVRENTII HEISTERI

1. Dissertatio inauguralis *de tunica oculi choroidea*, pro gradu Doctoris habita Harderouici, 1708. 4
 Auctior recusa, iterumque publice defensa est, Resp. D. Io. Sigismundo Leinkero, Norimberg. Helmstadii 1746. 4. cum tab. aenea
2. IO. BOHNII Tract. *de renunciatione uulnerum*, Amstelodami, 1710. 8. Praefatus est, et editionem curauit
 HEISTERVS

SCRIPTA ALTORFII EDITA

3. *De ueritatis inueniendae difficultate in Physica et Medicina*, Programma Orationi adituali praemissum, Altorfii 1710. 4
4. *De hypotesum medicarum fallacia et pernicie*, Oratio in aditu professionis medicae habita, Altorfii 1710. 4
5. Dissertatio anatomico-physiologica *de masticatione* (mechanice explicata) Resp. D. Io. Christoph. Goezio, Norimb. ibid. 1711. 4
6. *De Cataracta in lente crystallina* dissert. prima. ibid. 1711. Resp. D. Io. Guil. Widmanno, Norimb. Medico et Physico in patria, ac postea Sacrae Caesareae Maiest. Archiaro, Sacrique Imperii Rom. Nobili, atque Acad. Caesareae Nat. Curios. Directore excellentissimo, vvv
 év αργίσις

LXVI

7. *De cataracta in lente crystallina*, dissert. II, Resp. D. Ge. Phil. Vogtio, Nasslaueri. ibid. 1712. 4.
8. *Dissertatio III*, Resp. D. Tob. Ferd. Pauli, Vratislaueri. eodem anno. Ex his postea enata est
9. LAVR. HEISTERI tractatio *de Cataracta, Glaucomate, et Amaurosi*, in qua multae novae opiniones et inuenta contra vulgatas Medicorum, Chirurgorum, nec non Mathematicorum, sententias continentur. Cum fig. aen. Altorfii, 1713. 8. An. 1721 ob defectum exemplarium denuo emendatior edita
- Apologia et uberior illustratio systematis sui de Cataracta*, contra Woolhusii cauillationes et obiectiones, itemque Parisiensis eruditorum Diarii iniquam censuram. Alt. 1717. 8. Vid. *Acta Erudit. an. 1717. p. 267. et Biblioth. mixta Hall. Part. I, p. 64*
- Vindiciae sententiae suae de Cataracta*, etc. aduersus ultimas animaduersiones atque obiectiones Diarii Parisiensis eruditorum, ut et Woolhusii eiusque affectarum. Alt. 1719. 8. cum indice in tres hos libellos
- Epistola HEISTERI Actis Erudit. Lips. an. 1719. mense Ian. inserta eandem controuersiam persequitur
10. *De Gastro- et Enteroraphe*, dissert. Resp. Carol. Frid. Gladbachio, Cruceiaco-Palarino. Altorfii 1713. 4
11. *De Amaurosi, saluatione curata*, diss. Resp. G. Phil. Vogtio, Nassou. 1713. 4. Iuncta postea libello de Cataracta, Glaucomate et Amaurosi
12. *Chirurgiae novae adumbratio*. Diff. Resp. Henrico Sorragio, Altorfino. ibid. 1714. 4. Institutionum chirurgicarum, postea editarum, ideam exhibet
13. *Osteologiae compendium*. Diff. qua tanquam prodromum compendii sui anatomici exhibuit, Resp. Remigio Seiffarto de Klettenberg, Moeno-Francofurtenfi, Alt. 1715. 4

Com-

14. *Compendii anatomici specimen II.* Diff. Resp. Iac. Christ. Schefflero, Altorfino. 1716. 4
 15. *Compendii anatomici spec. III.* Resp. Mart. Matth. Mul- lero, Lindauensi. ibid. 1716. 4
 16. *Compendii anatomici spec. IV et ultim.* Resp. Ioh. Ehin- gero, Augustano. ibid. 1717. 4

Ex his quatuor dissertationibus demum instru- ctum est:

17. *Compendium Anatomicum*, quod Altorfii primum prodit 1717. 4. Recensetur in *Bibl. mixta Hallensi, Part. III*

Iterum Altorfii et Norimb. auctius et correctius, cum figuris, 1719. 8. Vid. *Acta Erud. an. 1719. et Diar. Paris. erud.* 1720.

Versio eius Anglicana an. 1721 in 8 edita est Londi- ni, inscripta: *A Compendium of Anatomy etc. translated from the last Edition of D. Laurentius Heister.*

Eodem anno in Germanicam linguam, sed minus bene, et Auctore nihil subministrante, conuersum prodit Vratislaviae, in 8. Postea etiam aliquoties No- rimbergae, cum tab. aeneis.

Latina editio secunda Amstelodami recusa est an. 1723. in 8. una cum oratione HEISTERI *de incrementis Anatomiae in hoc saeculo XVIII*, itemque programme *de inuentis anatomicis huius saeculi*, Helmstadii 1720 pu- blicatis

Gallice Parisiis an. 1724 bis prodit a diuersis auctori- bus conuersum, semel quidem sub indice: *L' abregé anatomique de Mr. Laur. Heister, etc. par un Chirurgien de Paris*; et iterum titulo: *L' Anatomie d' Heister, avec des Essais de Physique sur l' usage des parties du corps humain, par I. B. de la faculte de Montpellier*, en grand 8. *Relations de his in Diario erud. Paris. 1725, mense Iulio et Augusto*, leguntur.

LXVIII

Tertium latina editio euulgata est Altorfii, an. 1727. Latine idem Compendium an. 1730 bis recufum est Veneriis, semel quidem ad alteram editionem Altorfinam expressum, una cum oratione et progammate commemorato; et iterum iuxta tertiam edit. Altorfinam. in 8

Quartum prodiit latine, et auctius quidem, Altorfii, 1732, iterumque 1741

18. *De lingua sana et aegra*, Dissert. Resp. Io. Reinhard Kustnero, Moeno-Francofurtensi. Altorfii 1716. 4
19. *De noua methodo sanandi fistulas lacrymales*, Diff. Resp. Henr. Christ. Rodbergio, Essendia Westphalo. Alt. 1716.
20. *De uera glandulae appellatione*, diff. Resp. D. Burc. Dau. Maucharto, Wirtembergico, postea Prof. Med. Ord. Tubing. et Seren. Ducis Wirtemb. Consil. et Archiatro. Alt. 1718. 4. Vid. *le Journal des Savans*, an. 1719, mens. Octobr.
21. *De ualuula coli*, contra Io. Bapt. Bianchium, siue Blancum, Profess. Med. Taurinensem. Diff. Resp. Ge. Casp. Ihlio, Bohemo. *ibid.* 1718. cum tab. aen. Vid. *Diar. Erudit. Paris.* 1720, mens. Ianuar.
22. *De luxatione et fractura femoris*, Diff. Resp. Rud. Phil. Beurliino, Stuttgard. Wirtenb. *ibid.* 1718. 4
23. *Chirurgie, in welcher alles, was zur Wundarzney gehöret, nach der neuesten und besten Art gründlich abgehandelt, und in vielen Kupfer-Taffeln die neu erfundenen und dienlichsten Instrumenten, nebst den bequemsten Handgriffen der Chirurgicalischen Operationen und Bandagen deutlich vorgestellt werden.* Nürnberg, 1719, 4.

Auctior recusa est anno 1724, et 1731

Institutiones chirurgicae, etc. Opus triginta annorum, nunc demum post aliquot editiones germanica lingua euulgatas in exterorum gratiam latine publicatum. Cum tabulis aeneis XXXVIII. Amstelodami, 1739, duobus uoluminibus, 4

Secu-

Secuta est editio quarta Chirurgiae germanice scriptae, praecedentibus longe auctior, cum tabulis aeneis XXXVIII. Norimbergae, 1743, 4. Iterum ibidem recusa 1747

In Hispanicam linguam translata Chirurgia prodit an. 1748, sic inscripta: *Institutiones chirurgicas, o cirugia completa universal, del Doctor Don Lorenzo Heister, etc. donde se tratan con la mayor claridad todas las cosas pertenecientes à esta ciencia, tanto de las doctrinas antiguas, como de las modernas. Ilustrada con gran numero de laminas finas, y muy puntuales, que demuestran al natural todos los mas precisos instrumentos y operaciones chirurgicas etc. Traducida de la lengua latina por D. Andres Garcia Vasquez, Cirujano de Familia de su Magestad, quien la dedica al Rey nuestro Senor. Tomo primero en Madrid, por Carlos Rey, Anno de 1747. y Tomo segundo por D. Miguel Francisco Rodriguez. Anno de 1748, 4*

Angli eam sua lingua semel iterumque euulgarunt. Tertia editio hoc indice innotuit: *A General System of Surgery, containing the doctrine and management I. of Wounds, Fractures, Luxations, Tumors and Ulcers of all Kinds. II. Of the several operations performet on all parts of the Body. III. Of the several Bandages applied in all operations and disorders. The whole illustrated with thirty eight Copper Plates, exhibiting all the Operations, Instruments, Bandages and improvements, according to the modern and most approved Practice etc. translated into English from the latin of Dr. Laurence Heister, Professor of Physic and Surgery in the University of Helmstadt etc. the third Edition, London MDCCXLVIII, in 4*

LAVR. HEISTERI *Institutiones chirurgicae latinae, editio II, prioribus longe emendatiores et auctiores, Tomi II, cum tabulis aeneis XL. Amstelodami, 1750*

- Compendium Chirurgicum, siue Chirurgia parua; germanice, *Laur. Heisteri kleine Chirurgie*, cum tab. aeneis VIII instrumentorum maxime necessariorum, prodiit Norimbergae, 1747, in 8
24. *De superfluis et noxiis quibusdam in Chirurgia*, Diff. Resp. Io. Henr. Schutteo, Sufato - Westphalo. Alt. 1719. 4
25. *De glandulis, quae praeter necessitatem in corpore humano uulgo statuuntur*, Diff. Resp. Io. Iac. Gramfio, Moeno-Francofurtensi. ibid. 1719. 4
26. *Observatio de phosphoro omnia inflammabilia accendente, ex cerebro humano a se praeparato, una cum modo eum praeparandi, describitur in Actis Academiae Altorfinae, an. 1719, mense Decembri*
27. *Programmata tria de utilitate anatomes in Theologia generatim, sectionibus publicis praemissa*, Altorfii, 1717 et 1718. 4
28. *Programma speciatim agens de Dei cognitione e uentriculi functione et fabrica*. ibid. 1719
29. *Programma de Dei cognitione atque demonstratione ex intestinis tenuibus*, ib. 1719
30. *De foetu ex utero matris mortuae mature exscindendo*, Diff. Resp. Io. Petro Diefenbachio, Moeno-Francofurtensi. Alt. 1720. In qua etiam casus *de ruptura uteri in partu notabilis*, a Praeside obseruatus, descriptus est
31. *De optima cancerum mammaram extirpandi ratione*, Diff. Resp. Ott. Phil. Virdungo ab Hartung, Herbipolensi Franco. ibid. 1720. Describitur cancer mammaram non exulceratus, librarum duodecim, feliciter solo scalpello resectus. Cum figura cancerosam hanc mammam exhibente

SCRIPTA HELMSTADIENSIA

32. Oratio *de incrementis Anatomiae in hoc saeculo XVIII*, publice dicta, cum Anatomiae et Chirurgiae professionem Helmstadii susciperet, d. XVIII Jun. 1720. Guelpherbyti. 8
33. *De inuentis anatomicis huius saeculi*, Programma ad audiendam orationem aditalem inuitans. ibid. 1720. 4
34. Programma anatomicum *de Dei cognitione ex intestinorum crassorum fabrica et usu*. Helmstadii, 1720.
35. Programma quo inquiritur, *an circulus sanguinis uteribus fuerit cognitus*, Helmst. 1721.
36. *De Dei cognitione ex musculis et mirabili corporis motu*, Programma, quo ad musculorum demonstrationem inuitauit. Helmst. 1721.
37. *De Dei cognitione ex neruis*, Programma, cum neurologiam siue neruos corporis humani ostendendos susciperet. ibid. 1721.
38. *De Trichiast oculorum*, Diff. Resp. D. Godofr. Ludou. Schwerdfegero, Luneburgico. Helmst. 1722. 4
39. *De fortuna Medica, ad Hippocr. de loc. in hom. text. 58*. Diff. Resp. Io. Christ. Rabe, Calnberga-Schoenburgico. ib. 1722.
40. *De simplicium collectione*, Diff. Resp. Christ. Frid. Rabe, Calnberga-Schoenburgico. ib. 1722.
41. *De morbis adolescentum et iuuenum Hippocratis*, Diff. Resp. Frid. Henr. Schrammio, Butstadio Thuringico. Helmst. 1722.
42. *Petri Dionis Chirurgia*, germanice iam pridem edita, rogatu bibliopolae Augustani ab HEISTERO reuisa, innumeris locis emendata, notisque multis aucta. Augustae Vindelic. 1722.
43. Programma, quo ostenditur, *ex pulmonis foetus inntatione uel submersione in aqua nullum certum infanticiidii signum desumi posse*. ibid. 1722.

Pro-

LXXII

44. Programma, quo ad anatomen cadaueris feminae, ultimo mense grauidae, glandibus plumbeis caput penetrantibus interfectae, inuitauit. *ibid.* 1722.
45. Programma, quo feminae huius, superiore anno a se dissectae, memoriam celebrauit, et notatu digniora, in ea obseruata, descripsit. *ibid.* 1723.
46. Programma *de Dei cognitione ex partibus generationi dicatis*, in uniuersum. 1724.
47. *De Rbachitide*, dissert. Resp. Io. Ge. de Brocke, Altenburgico-Saxone. Helmst. 1725
48. Programma, quo praecedentem disputationem indicens, demonstraui, *infantes pro suppositis a diabolo olim habitos re uera non alios, nisi aegros Rbachiticos, fuisse.* *ibid.* 1725
49. Dissertatio *de Manna*, et *speciatim de securo et proficuo eius usu pro aluo in uariolis consluentibus mouenda.* Resp. Iulio Bielirzio, Marchico. 1725
50. Dissert. Medica forensis *de partu tredecimesfri legitimo.* Qua simul defenditur, partui nullam certum tempus in uniuersum tribui posse. Resp. D. Io. Gerh. Wagnero, Helmstadiensis. 1727
51. Obseruationes *de Aneurysmatibus* in pectore maximis, et *de calculo admodum singulari* in uesica iuuenis reperto, descriptae in *Annal. Acad. Iuliae, semestri XII, 1727.* p. 81
52. Programma *de Dei cognitione ex mirabilibus ossum articulationibus et motibus*, cum cadauer celeberrimi gesticulatoris Belgae, Helmstadii defuncti, publice dissectandum esset. 1727.
53. *De Dei cognitione ex partibus feminarum generationi inseruentibus*, Programma, 1727.
54. *De Dei cognitione ex partibus genitalibus uirorum*, Programma, 1728

De

55. *De alto apparatu, siue methodo calculum e uesica in pubis regione excidendi*, Dissert. Resp. Io. Frid. Weisio, Helmstadiensis. 1728. cum tab. aen.
56. *De Anatomies subtilioris utilitate in Medicina et Chirurgia*, Diss. Resp. Io. Car. Hahnio, Sueidnicensi Silesio. 1728
57. *De animi defectione*, Diss. Resp. Iac. Henr. Gebhardi. Brunswicensis, 1728
58. *De debilitate fibrarum*, Diss. Resp. D. Ott. Iusto Wreden, Hannouerano. 1728
59. *De Chirurgorum erroribus in curandis morbis ueneris*, Diss. Resp. I. Iac. Schmidio, Magdeburgico. 1728
60. *De Kelotomiae abusu tollendo*, Diss. Resp. Anton. Mombero, Elbinga Boruffo. 1728
61. *De medicamentis cardiacis*, Diss. Resp. D. Mart. Christ. Polenz, Lipsiensis, 1729
62. *De medicinae utilitate in Iurissprudentia*, Diss. Resp. D. Io. Mart. Starckio, Moeno-Francofurtensis. 1730
63. *De Dei cognitione ex mammis mulierum*, Programma anatomicum. 1730
64. *De studio rei barbariae emendando*, Programma, cum Botanices professionem, et demonstrationes plantarum publicas aggredereetur. Helmstadii 1730
65. *De Medico naturae domino*, Diss. Resp. D. Io. Theoph. Hugone Rochlitzio, Andreae-montano, Cherusco. 1730. 4
66. *De medicamentis Germaniae indigenis, Germanis sufficientibus*, Diss. Resp. D. Io. Maur. Hengstmanno, Quedlinburgensi. 1730

LXXIV

67. Dissertatio sistens *observationes medicas miscellaneas* singulares, Helmstadii notatas, theoreticas et practicas. Resp. Io. Frid. Moebio, Glauchauia-Schoenburgico Saxone. 1730
68. *Index plantarum*, quas hoc anno in hortum medicum Helmstadiensem intulit. In calce *aliquot noua plantarum genera* constituuntur, atque ordinis, quo plantae in horto disponendae sint, descriptio promittitur. Helmst. 1730. 8
69. Singulis annis sequentibus 1731, 1732 et 1733 *continuationem* dedit *indicis plantarum*, quibus quoque anno hortum instruxit. Cuique indici subiunxit *quaedam plantarum genera*, ad plantas curatius distinguendas
70. *De Chirurgia cum Medicina necessario coniungenda*, Diff. Resp. D. Georg. Christ. Materno, Pannonico. Helmst. 1732. 4
71. *De fallaci pulmonis infantum experimento*, nouis experimentis illustrato, Diff. Resp. Guil. Traugott Heerio, Goerlicensi Lusaro. *ibid.* 1732
72. Dissertatio *de foliorum utilitate in constituendis plantarum generibus, iisque facile cognoscendis*, Respondente filio, Elia Friderico Heistero. 1732
73. *De aquis medicatis Pyrmontanis*, Diff. Resp. D. Io. Sigism. Hahnio, Sueidnicensi Silesio. 1732
74. *De Medico nimis timido*, Diff. Resp. Hermanno Schroedero, Hagebornensi Magdeburgico. 1733
75. *De clauo haemorrhoidali*, Diff. Resp. D. Io. Gottl. Raupachio, Silesio. 1734. Huic annexa est
76. Epistola *de morte Siliii Italici*, celeberrimae poetae et oratoris, *ex clauo insanabili*

De

77. *De Calendario artuum*, Diff. Resp. D. Christ. Gottl. Fregio, Misnico. 1736
78. *Compendium Institutionum, siue fundamentorum Medicinae*. Helmstadii 1736. in 4
 Editio altera auctior et emendatior. Helmst. 1745, in 4
79. Dissert. *de morbis ex uiscido oriundis*, Resp. D. Io. Leonh. Henrici, Moenofrancof. ibid. 1737
80. Diff. *de Anatomes maiori in Chirurgia, quam Medicina, necessitate*. Resp. D. Georg. Wagnero, Hasso-Casellano. 1737
81. *De bernia inaeuacata suppurata, saepe non lethali*, Diff. Resp. D. Io. Adolph Gladbachio, Moenofrancof. 1738. cum tab. aenea
82. *De Medicinae mechanicae praestantia*, Diff. Resp. D. Io. Petr. Sparwardo, Stralsfund. Pomerano. 1738
83. Dissert. *de pipere*, Resp. D. Georg. Conrado Pfeffero, Brandenburgico Onoldino. Helmst. 1740. cum figura *Piperodendri* Helmstadiensis rarissimi
84. *De ossium tumoribus*, Diff. Resp. D. Christ. Frid. Goekelio, Norimbergensi. 1740
85. Meditationes et animaduersiones *in nouum systema botanicum* sexuale Linnaei. Resp. D. Phil. Casp. Goekelio, Norimb. fratre praecedentis. 1741
86. Dissert. *de nominum plantarum mutatione utili et noxia*, Resp. Iodoco Edmundo Sandhagio, Hildesienfi. 1741. cum fig. *piperodendri* Helmstadiensis florentis
87. Dissert. *de Aurantiis eorumque eximio usu medico*. Resp. D. Io. Herm. Ant. Wilberding, Monasterio-Wesiphalo. 1741, cum tab. aenea

LXXVI

88. *De Medicinae sectae empiricae ueteris atque hodiernae diuersitate.* Diff. Resp. Mich. Ant. Kayfero, Beuero-Brunswicensi. 1741
89. *De arteriae cruralis uulnere periculosissimo, feliciter sanato,* Diff. Resp. Io. Andr. Reinigio, Magdeburgico 1741. cum tabula aenea
90. *De offium uulneribus rite curandis,* Diff. Resp. Io. Gottl. Sturmio, Lubena Lusato. 1743
91. *Compendium Medicinae practicae, cui loco praefationis praemissa est dissertatio de Medicinae mechanicae praestantia.* Amstelodami, 1743. 8
Recusum est Venetiis, 1748. in 8
Germanice uersum titulo: *Practisches Handbuch,* prodiit Lipsiae 1744. in 8
92. *De mutationibus corporis humani naturalibus ab ortu usque ad obitum,* Diff. Resp. Christ. Ant. Conr. Probstio, Gandes. Brunswicensi. Helmstadii 1744. 4
93. *De uulneribus machinarum igniuomarum,* Diff. Resp. Guil. Iust. Helmkampffio, Gandesiensis. 1744
94. *Dissert. de Rheumatismo.* Resp. Arnold. Iulio Richers, Luneburgensis. 1744
95. *De Cydoniis eorumque eximio usu medico.* Diff. Resp. Io. Adamo Bauero, Norimb. 1744
96. *Diss. de labris leporinis,* Resp. Christ. Georg. Schwalbio, Quedlinburgensis. 1744. cum tab. aenea
97. *Dissert. de genuum structura eorumque morbis.* Resp. Io. Guil. Widmanno, Norimbergensi, nunc Medico et Physico in patria ordinario. 1744. cum tab. aenea
98. *Dissertatio de peste, cui praemissa explicatio Reliquiarum S. Sebastiano occasione pestis olim in Italia consecrati.*

- crati. Resp. Gustau. Phil. Negelino, Norimbergensi. 1744.
99. *De tumoribus cysticis singularibus*, Diff. Resp. Bened. Andr. Friesio, Brandenburgico Onoldino. 1744. cum tab. aenea.
100. *Dissertatio de Hydrocele*, Resp. Mart. Arnoldo Butzero, Emdano Friesio. 1744. cum tab. aenea.
101. *De aquae laudibus in Medicina nimis suspectis*, Diff. Resp. Io. Ernesto Damischio, Magdeb. 1745.
102. *De Lithotomiae Celsianae praestantia et usu*, Diff. Resp. Io. Guil. Ilsemanno, Cellerfeldensi Cherusco. 1745. cum tab. aenea.
103. *Epistola de pilis, siue glomere pilorum, ossibus et dentibus, in peculiari uesica, siue sacculo membranaceo, in uentre mulieris, quae se fascinatam credidit, inuentis, una cum eorum omnium delineationibus aeri incilis.* Helmst. 1746. 4
104. *Schema noui systematis circa diuisionem medicamentorum*, Diff. Resp. D. Io. Godofr. Pietischio, Mansfeld. 1747.
105. *Dissertatio, qua disquiritur, an Chirurgus debeat esse adolescens*, ob dictum Celsi, praef. lib. VI. Resp. Car. Iosia Ioanne Cramero, Beckendorffio Halberstadtensi. 1747.
106. *De noua arte gymnastica*, Diff. Resp. D. Friderico Boernerio, Lipsiensi. 1747.
107. *Systema plantarum generale ex fructificatione, cui annexuntur regulae de nominibus plantarum rite constituendis, a Cel. Linnaei multum diuersae.* Helmstadii, 1748. 8
108. *Dissertatio de Asthmate scirrroso*, hactenus fere neglecte-

LXXVIII

- gleſto. Reſp. D. Chriſtoph. Heinr. Dunkerö , Fuhla-Schaumburgeni Haſſo. Helmſt. 1749. 4
109. Diſſertatio Medico-forenſis *de Medico uulneratum curante a ſeſſione cadaueris non excludendo.* Reſp. D. Chriſt. Theod. von Hagen, Hildeſienſi. 1749.
110. Diſſert. Medico-chirurgica *de prolapſu uteri cum inuerſione, extra partus tempus ex terrore orto.* Reſp. Theod. Aug. Schlegelio, Vlmienſi. 1750.
111. Io. Henrici Burckhardi epiſtola ad Leibnitium , *de charactere plantarum naturali, quem partes earum genitales ſuppeditant.* Heiſterus notas addidit, et praefationem de Burckhardi, Ioach. Camerarii et Ioach. Iungii egregiis in rem herbariam meritis praemiſit. Helmſtadii, 1750. in 4. et 8. cum iconibus et deſcriptione duorum nouorum generum plantarum Burcardiae et Iungiae.
112. Abrahami Vateri *Museum Anatomicum*, quo artiſciſſima eius praeparata anatomica, una cum obſervationibus euſdem anatomicis et chirurgicis enarrantur, tabulisque XII illuſtrantur. Heiſterus rogatu Auctoris edidit, et praefationem praemiſit. Helmſtadii 1750. 4
113. Diſſertatio *de abuſu uenae ſeſſionum apud Gallos.* Reſp. Theod. Aug. Schlegelio, Vlmano. 1750. 4
114. Diſſert. *de nucẽ Been.* Reſp. Vrban. Frid. Bened. Bruckmanno, Guelferbyrano. 1750. 4
115. Diſſ. *De generibus plantarum augendis potius quam minuendis.* Reſp. Wollnero, Schwarzenburgico. 1751.
116. *De partu mirabili foetus uiui in ſomno matris profundo.* Diſſ. Reſp. Behrens, Brunſuiceniſi. 1751.
117. *De Apoplexia remediis magis chirurgicis curanda.* Diſſ. Reſp. Georg. Conr. Thon, Koenigſteenſi; Schwarzenburgico. 1752.

De

118. *De summe necessaria inspectione cordis uasorumque maiorum sub legali infantum sectione*, Diss. Resp. Io. Dan. Farenholtz, Goflariensi. 1752.
119. Programma, quo iniquum Lipsiensium iudicium de noua suarum Institutionum chirurgicarum editione Amstelodamensi, in commentariis nouis de rebus in scientia naturali et Medicina gestis, refellitur. Helmst. 1752
120. *Medicinische, Chirurgische und Anatomische Wahrnehmungen*, Rostock, 1753. 4. Nebst Kupfern. Continentur hoc uolumine satis spisso obseruationes et experimenta curationum ad annum usque 1721 facta. Reliqua alteri uolumini destinata in MSto restant.

Hae obseruationes e Germanica in Anglicanam linguam translatae, et splendida magnaque charta imprefae, prodierunt Londini, 1755, in 4

121. *Dissertatio de inflammatione*. Resp. Foertschio, Lubecensi. 1735
122. *Descriptio noui generis plantae rarissimae et speciosissimae Africanae ex bulbosarum classe*, cui in honorem atque sempiternam memoriam Serenissimi Principis ac Domini CAROLI, Brunswicensium ac Luneburgensium Ducis hodie regnantis, tanquam rei herbariae summi promotoris et fautoris munificentissimi, *Brunswigiae* illustre nomen imposuit. In qua simul multae Botanicorum quorundam hallucinationes indicantur et emendantur. Cum tribus magnis tabulis aeneis huius plantae, coloribus naturalibus repraesentatae. Brunswigae, typis Orphanotrophei, 1753. in fol. max.

Germanice prodiit hoc opus eodem loco eademque forma, 1755. Vid. *la Bibliotheqe Germanique*, an. 1755, Tome seizieme, p. 38

Diss.

LXXX

123. Diff. *De hernia carnosa siue Sarcocoele*. Resp. Christ. Dan. Heise, Obisfelda Magdeburgico. Helmst. 1754. cum iconibus
124. *De ingenti brachii inflammatione, gangraena et spacio*, feliciter curatis, Diff. Resp. Frid. Guil. Krause, Pregnizio. Helmst. 1755
125. Dissertatio exhibens *causas, cur febris petechialis incolas regionis Hadelensis saepius, quam Wursatensis, inuadat*. Resp. Bernh. Hoepke, Wursatensi. 1755
126. *De fonte medicato prope Helmstadium nuper detecto, eiusque salubri usu*, Diff. Resp. Georg. Ern. Rahlwes, Cellenfi Luneburgico. 1755
127. Dissert. *de theoria atque therapia molesti febrium essentialium symptomatis, cuius signum est anxietas*. Resp. Iac. Frider. Io. Muller, Hildelienfi. 1755
128. Dissert. *de Vomica pulmonum Pleuro-pneumoniam excipiente*. Resp. Guil. Friderico Cappelio, Aquisgranensi, d. 15 Iul. 1757

In Ephemeridum Naturae Curiosorum singulis fere uoluminibus in de ab anno 1712 quasdam obseruationes publicauit, et sigillatim quidem in Centur. I et II, quae anno 1712 prodierunt, p. 426 seqq. (1.) Commemorauit *duo exempla oculorum ab se exploratorum*, qui secundum certa et pathognomonica auctorum signa ueris cataractis laborabant, sed in quibus nullam membranam uel pelliculam, sed tantum humorem crystallinum inuenit opacum. (2.) Narrat, uirum quendam eo tempore Altorffii uixisse, qui *brachii dextri paralyti* laborans, mouere illud non ualebat, integro tamen tactus sensu manente; e contrario in sinistro brachio et pede, quem libere mouere poterat, nullam tactus habebat

bebat perceptionem, ita, ut siue illud in calidam, siue in frigidam aquam immitteret, nullum sentiret discrimen. (3.) Exemplum profert uiri, anno 1710 Londini ab se uisi, XL circiter annos nati, cui, ceterum bene ualenti, omnes in toto corpore crines exciderant, ita ut ne unicus quidem, neque in capite, barba, ciliis et palpebris, neque sub axillis aut in regione pubis, inueniretur. Cuiusmodi etiam exemplum postea Helmstadii in muliere quadam iuene, ceteroquin satis formosa, Halberstadiensis uidit. Vtrique nulli pili regenerati sunt. (4.) *Abscessum in processu uermiformi* intestini coli inuenit. (5.) Refert in duobus hominibus *abdomen et umbilicum* ita reducta et introrsum uersa fuisse, ut umbilicus spinæ dorsæ plane incumberet, eaque per umbilicum tactu sentiri posset. (6.) Exemplum, ubi *arteria magna* siue *aorta* in puero, 12 annorum, *quatuor distinctos ascendentes* ramos habuit, quorum duo arterias subclauias, et reliqui duo arterias carotides constituerunt: illasque arterias una cum corde cera repletas balsamoque conditas asseruauit. (7.) In eiusdem pueri intestinis non modo multos reperit lumbricos, sed etiam *intestina tenuia duobus in locis* sibi inuicem inserta et restricta præter naturam, qualis mutus ingressus morbosus in iliaca passione defunctis alias sæpe repertus est. (8.) Memoriae prodidit, *arterias umbilicales in uitulis* ex trunci arteriæ aortæ parte infima, in infantibus uero plerumquæ *ex arteriis iliacis* oriri. (9.) Se in foetu humano *urachum* nunquam peruium inuenire potuisse. Proinde non credere, in foetu humano tunicam alantoidem adesse, ad quam urina ex foetu humano per urachum deponatur

In *Ephemeridum Centur. III et IV pag. 452 seqq.*

L

refert:

LXXXII

refert: (1) Historiam, ubi cuiusdam hominis caput fclopeto, charta masticata, loco glandis plumbeae, facto uehementer diffractum, laesulque ipso ictu occubuit. (2) *Tumorem cysticum in superiori palpebra* feliciter a se extirpatum. (3) Nouam delineationem descriptionemque *tonsillarum*. (4) Descriptionem noui instrumenti chirurgici, ad *tonsillas suppuratas* in faucibus aperiendas, primus exhibuit. (5) Singulares obseruationes diuersarum partium, quomodo in *uitulo bicipite*, a se dissecto, constitutae fuerint. (6) Exemplum *infantis, ano clauso nati*, et intestino recto omnino carentis. (7) Exemplum perquam rarum infantis, cuius *urachus a uesica usque ad umbilicum* apertus a se inuentus est, attamen non ultra umbilicum. (8) Delineat et describit peculiare nonnullos *uermes, quos in uentriculo equi*, Altorfii a se dissecti, obseruauit. Quorum similes postea in alio deprehendit quam plurimos, Helmstadii a se dissecto. (9) Aliam uermium speciem descripsit, qui in uentriculis columbarum reperi sunt, lue mortifera laborantium; a qua illae mercurio uiuo, potui ipsarum iniecto, liberatae sunt. (10) Lienem in canibus sine detrimento excindi posse, nouo exemplo confirmauit. (11) Singulare ac raram obseruationem affert, qua, *quid cataracta proprie et reuera sit*, primus ostendit, atque etiam, quid sint *cataracta purulenta et caseosa*, aliaeque difficultates circa cataractae morbum occurrentes, hic expediuntur

In *Ephemeridum Cent. V et VI pag. 157 seqq.* ab eo describitur (1) *accuratior structura cerebelli*, quod in hominibus aequae ac animalibus, si medium discindatur, perbelle ex paruis quasi lobulis, qui a se inuicem separari possint, compositum reperiatur, nec tam informe sit,

LXXXIII

fit, quam quidem omnes adhuc scriptores prodiderint. Simul constitutionem cerebri, tum humani tum uitulini, in figura aenea ob oculos posuit. (2) Noua et uera pylori uentriculi humani constitutio ab aliis antea praetermissa. (3) Obseruationes de diuersa sede et causa tympanitidis. (4) De duplici eaque notabili epiplocele, in utroque latere uiri, in sectione cadaueris inuenta. (5) Exemplum feminae, uehementibus conuulsionibus subito, ac si uenenum sumsisset, mortuae, in cuius orificio uentriculi superiori magna lumbricorum teretum mire implicatorum copia reperta est. (6) Pag. 211 seq. eiusdem tomi describit tunicam alantoidem uitulorum, quam Harueus negauit, eiusque uasa, quae in figura aenea repraesentantur. (7) Vberiore relationem de supra dicto cane, cui lien erat extirpatus, exhibet. (8) Vasa lactea in intestinis crassis equi uiui, a se dissecti, perspicue exponuntur; item fibrae annulares in eius ductu thoracico, quibus fabrica eius in homine illustrari potest. (9) Vera constitutio uenae umbilicalis et canalis uenosi, cum in hominibus, tum in uitulis; ubi simul diuersorum scriptorum circa has partes errores emendantur. (10) Narratio de sectione corporum duorum hominum melancholicorum, qui aquis se suffocauerant, in quibus nullum lienis uirium, sed pancreas penitus induratum, et singulares ualuulae in ductibus biliaris alterius, inuenta sunt. (11) Noua anatomica descriptio et delineatio paruorum quorundam ossiculorum, quae sesamoidea uulgo nominantur, in osse femoris et manus minimo digito repertorum

In Ephemeridum Cent. VII et VIII pag. 49. (1) uberior de his ossiculis sesamoideis relatio exhibetur. (2) pag. 161 de cancro siue carcinomate agitur, qui ex labro infero

LXXXIV

rioni ab auctore feliciter exsectus est. (3) Noua delineatio et descriptio *glandulae thyroideae, glandularum bronchialium et asperae arteriae* exhibetur. (4) Singularis constitutio ita dictae *venae azygos, siue sine pari*, delineata. (5) *Cancer in partibus exterioribus uteri* peculiaris et uehemens describitur. (6) De singulari *uaginae uteri prolapsu* post partum difficilem agit. (7) De *tuberculo siue excrescentia magna ex intestino recto*, feliciter a se resecta. (8) De *fistula lacrymali* secundum nouam *Apelli* methodum bono successu a se curata. (9) *Membrana hymenis* delineatur, probaturque eam in iunioribus uirginibus reapse ut plurimum adesse. (10) Probatum contra *Wolbustium* et figura ostenditur, *plus humoris aquei in oculo ante, quam post uecam*, contineri, quod postea *Peritus*, Medicus *Gallus*, Parisiis uberius probauit. (1) De *ingenti quodam uentriculo*, qui fedecim libras uel octo mensuras aquae cepit

Actis Naturae Carioforum inseruit sequentes obseruationes. Volum. 1, pag. 390 (1) enarratur *sectio iuuenis amaurosi laborantis*. (2) agitur de *lumbricis in cauo abdominis extra intestina repertis*. (3) *anotome iuuenis phtisici* ex haemoptysi, in quo *uasa lactea copiosa in intestinis*, foramen p. n. in oesophago, in pectore, aliaque notata digna reperiabantur. (4) *dissectio empyemate laborantis*. (5) De lege regia, Digest. lib. XI, tit. VIII, quod *praegnantem mortuae, ante quam foetus sit excisus, non sint humandae* (6) De *ruptura uteri in partu difficili*, sectione cadaveris reperta. (7) De *glandulis labri superioris*, quae figura illustrantur. (8) De *lingua humana*, et praesertim eius *glandulis* in superficie, ubi simul de *ductibus linguae saliuilibus nouis* disseritur. (9) De *interiore laryngis facie*, et praesertim eius uentriculis

lis: (10) *De calculo in glandula quaedam bronchiali re-
per-
to.* (11) *De calculo in uescicula fellea nucis iuglandis ma-
gnitudine inuento, et enormi ductus choledochi ampli-
tudine.* (12) *De digito cancroso seu carioso, feliciter re-
fecto.* (13) *Crassities uteri in grauidis utrum fiat crassior,
an tenuior? affirmatur prius.* (14) *De circulo sanguinis
mutuo inter foetum et matrem grauidam.* (15) *De glan-
dulis copiosissimis in ingluuie auis, Coccothraustae, ob-
seruatis.* (16) *De pediculis siue pulicibus muscarum.* (17)
Expenditur, *an circulus sanguinis ueteribus fuerit co-
gnitus, occasione loci ueteris Scholiastae Euripidis,
et Plutarchi.* (18) *Differitur de incerto infanticidii argu-
mento ex pulmonis foetus inmatatione uel submersione*

*In Actorum Naturae Curiosorum Volumine V,
pag. 520 egit (1) De gangraena et sphacelo pedis, cortice
peruuiano curatis. (2) De plantis quibusdam perennibus,
quae uulgo pro annuis habentur*

Tandem in horum Actorum Volumine VII, pag.
86 exhibuit (1) *casum de arteriae crualis uulnere periculo-
sissimo, feliciter curato.* (2) *egit de noua machina ad
aneurisma in femore, post uulnus huius arteriae, auer-
tendum.* (3) *De arteria brachiali saepe duplici, et bra-
chio non protinus amputando ob laesam arteriam bra-
chiale.* Pag. 272 in eodem Volumine sequitur (4)
*observatio de piperodendro, arbore rarissima horti Helmsta-
diensis, et (5) de hoc ipso piperodendro florente, cuius
flores hic describuntur, et eorum figura exhibetur.* Ad-
iecit tandem singularem casum *de corticis Peruuiani
felici usu in sphacelo*

In Actis Philosophicis Anglicanis N. 417, pag. 13.
L 3 copi-

LXXXVI

copiose enarrauit obseruationem notatu dignissimam de
sene uegeto et robusto, in uicinia Helmstadii uiuente,
qui cum diu uehementerque calculis uesicae laborasset,
tandem his, inopinante aegro, et nulla accedente ui
externa, in uesica cum impetu contractis, et mox mi
nutatim larga copia per urethram eiectis, omni dolore
calculi liberatus est, ab eoque immunis ad finem usque
uitae fuit. Hoc exemplo fit probabile, quod fieri non
posse multi crediderunt, et adhuc credunt, *calculos ma
iores in uesica confringi et excerni, adeoque remedia aut
dari aut inueniri posse*, quibus maiores, et praesertim
firmiores durioresque, calculi in uesica comminuan
tur. Quo pacto in multis fortasse, si non in omnibus,
calculo uesicae laborantibus, lithotomia carere posse
mus, si modo eiusmodi remedia inuenta et
nota essent




35. Progr. in Fun. Stiliae Heinemannii, Com. Hrovnge, vnyng. 1661.
 36. Bodmereri phil. et theol. stud. 1665.
 37. Fiknadersi progr. orationis — a Braunfeldt praem. 1663.
 38. progr. in Fun. puellae An. Mariae Krohn. 1666.
 39. An. Marg. Nagleri. 1666.
 40. — — puelluli Joh. Rixneri. 1666.
 41. — — Jenelli Joh. Fr. Rixneri. 1666.
 42. — — An. Eleon. Ackeri. 1666.
 43. Carin. grat. ad Busmannum. 1667.
 44. Ode in caritatem. 1678.
 45. Andri. Helm. Hellberg gratulatio Acad. Juliae prof. 1778.
 46. Progr. Henrici Wilschurpi. 1680.
 47. Festu. nupt. Carl. Anoltri Drumbricht. 1678.
 48. Lat. ac debet. officium ad evadum. 1678.
 49. Pia vota ad Lud. Fabrum sponsum et — Senram. 1679.
 50. Progr. in Fun. matris Bornemanniae, Cansmanni viduae. 1691.
 51. Progr. tot. Rempen. 1709.
 52. Progr. in Fun. An. Cath. Rineritiae, Hornesii vnyng. 1649.
 53. Progr. XII Nov. A 1693.
 54. — in Fun. An. Syph. Schmerhenniae, Sitt. Theod. Ackeri vid. 1702.
 55. — Agnerae Kochner, Carp. Turberii vid. 1712.
 56. Abhandlungensatzes abguldung von Veigt.
 57. Progr. in Fun. Homburgii Sels. 1714.
 58. Catalogus scriptorum in div. acad. editorum. 1732.
 59. Progr. in Fun. Carolus phil. stud. 1757.
 60. Musurgia Topapii 1757.
 61. — Sordili. 1758.
 62. — Laur. Heideri. 1758.
 63. De vita Frobenii. 1756.
 64. Gratia panegygr. in diem nat. pini. Friderici V, laura et
 65. De des principitate. Progr. in christi natal. his. 1762.
 66. Progr. in fest. Michaelis. 1762. —

96
1233

— Nonnulla deunt —

ULB Halle 3
001 920 952







61

MEMORIA
VIRI
ILLVSTRIS ET EXPERIENTISSIMI
LAVRENTII HEISTERI
MED' D' SERENISS' DVCIS BRVNOV' ET LVNEB' CONSIL'
AVL' ET ARCHIAT' MEDIC' PRACT' CHIRVRG' ET BOTAN'
P' P' O' ORDINIS SVI ET TOTIVS ACAD' SENIOR'
SOCIETATVM CAESAREAE NAT' CVRIOS' REGIARVM
LONDIN' ET BEROL' SCIENT' ET BOTANICAE
FLORENT' SODALIS
A' D' XVIII APRIL' A' I' S' CIO IO CC LVIII
DEFVNCTI
A V C T O R I T A T E
PRORECTORIS ET SENATVS
ACADEMIAE IVLIAE CAROLINAE
P E R S C R I P T A
A B
IO· CHRISTIANO WERNSDORFIO
P' P' O
HELMSTADII
LITTERIS VID' B' SCHNORRII